



BIBLIOTHÈQUE
de Mr. A. Houbigant.
Nocturna
versate
manu
versate
diurna.
Horat



ROBERT J. HAYHURST.



2.78 fr



PICTURAE
ANTIQUAE
CRYPTARUM ROMANARUM,
ET
SEPULCRI NASONUM.



PICTURAE ANTIQUAE CRYPTARUM ROMANARUM,

ET

SEPULCRI NASONUM

Delineatae, & expressae ad Archetypa

A PETRO SANCTI BARTHOLI ET FRANCISCO EJUS FILIO

Descriptae vero, & illustratae

A JOHANNE PETRO BELLORIO

ET

MICHAELE ANGELO CAUSSEO

OPUS

Latine redditum, proditque absolutius & exactius
cum Appendice nunquam edita.



ROMAE ANNO JUBILAEI MDCCL.
EX TYPOGRAPHIA ANTONII DE RUBEIS

PRÆSIDUM PERMISSU.



BENEDICTO XIIII.
PONTIFICI MAXIMO



JOHANNES BOTTARIUS.

Um diu multumque mecum ipſe tacitus cogitaſſem, quot quantæque ſint, quas in dies præteſers virtutum omnium ſignificationes, Beatissime Pater, quæ in tui admirationem Orbem propemodum univerſum pertrahere videntur, quæque in ex-

emplum maximorum facinorum ad ſera poſterorum uſque tempora perferentur, vix temperare me potui, quin ad meritas laudes percenſendas procurrerim. Sed quum non æquum meis viribus onus me ſuſcepturum cognoverim, tantæ molis opere, tantæque magnitudinis perterritus, ab hujuſmodi ſcriptione me abſtinui. Abſtinere tamen non potui, quin ad tenujorem aliquam tuarum laudum proclamationem non aggrederer, eamque mihi ſumpſi, quam in vetuſtatis reliquiis ab interitu vindicandis, & in excolendis tribus præcipue artibus, quæ in delineatione verſantur, promeritus fuiſti. Hujus rei teſtes ſunt & immenſa illa ſtatuarum, ac protomarum vis, quam in Capitolium, ad augendum celeberrimum a Clemente XII. Prædeceſſore tuo inſtitutum Muſeum, invexiſti: teſtes tot cippi, tot aræ, tot inſcriptiones, tot ſarcophagi ibidem collocati: teſtes Urbis æternæ veſtigia ab interitu ferme vindicata, ibique miro ordine diſpoſita: teſtis, quam a fundamentis conſtructam in Capitolio adornaſti, pœcile egregiis tabulis ita referta, ut cum illa, quam Athenis quondam univerſa Græcia admirabatur, ſit omnino comparanda. Teſtes ſupra mille Romanorum Pontificum Diplomatibus appoſita ſigilla, & innumeræ propemodum veterum gemmarum ectypæ ceræ, ac immenſa illa antiquarum elegantiarum ſupellex, Muſei Carpinei nomine celebris per totum, qua late patet Orbis; quibus omnibus, præter multos manu exaratos codices, Bibliothecam Vaticanam donaſti. Verumtamen ad Tui nominis immortalitatem, & ad quod mihi ſumpſi magis, luculentiuſque demonſtrandum, peculiarius profecto conducet Muſeum Chriſtianum, quod conſtruendum jam animo volutas, quo veterum Chriſtianorum, quæ undique reperiri poterunt, reliquiæ, quæ ad noſtram religionem ſpectant, collectæ conferantur; quod immortale facinus exiget nomini tuo ære perennius monumentum, & barbaris Pyramidum miraculis utilius, &

Quod non imber edax, non Aquilo impetens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Ad hoc eximium, præclarum, & excelſum inceptum non ego prior Tibi hortator ſum, immo quicunque bonas litteras, & antiqua, quæ ad noſtræ religionis cultum, ritusque pertinent, impenſe amant, a Te hoc expectant, & ſpe tuæ auctoritatis, eruditionis, favoris, potentiæ excitati, hoc Muſeum, in quod Chriſtianorum κειμηλία pretioſa veluti e naufragio fragmina derives, & a barbarorum hominum, ut ita dicam, tempeſtate ſarta tecta conſerves, jam mente, & animo tanquam præſens perceperunt.

Hæc, quæ de Te prædico, teſtatur etiam Opus, quod iterum in lucem editum vides, quodque Tibi offerendum jure, & merito ratus ſum, nam illud Tibi pleno jure vindicas; ex tua enim celeberrima Calcographia prodit, quam in dies favore tuo protegis, foves, atque auges. Hanc autem antiquarum Picturarum, & Muſivorum Syllogen, quam tuis auſpiciis adornandam ſuſcepi, multis novis, nec antea in lucem prolatis egregiis ære inciſis tabulis locupletavit Cardinalis Sylvius Valenti S.R.E. Camerarius tuique ſummæ rei ſecretior Adminiſter, elegantiarum omnium & ipſe diligens, doctuſque perſcrutator & adſertor; quique inſigniora naturæ & artis opera, tanto pollet mentis acumine, tamque egregia indole, genioque præditus eſt, continenter exquirit, colligit, & nulla impendii habita ratione, in ſuas ædes ad animi ſui oblectamentum derivat. Hic mihi hoc munus impoſuit, quamvis meis viribus impar, ut hanc editionem adornarem, meaſque tenues & exiles, pro tenui & exili ingenioli mei modulo, & pro temporis anguſtia enarrationes apponerem; hic mihi animos adjecit, ut nomini tuo, Beatissime Pater, quidquid hoc laboris eſt, dicarem. Excipe igitur illud, quæſo, ea qua ſoles humanitate, quod ſi Tibi probatum eſſe ex aliqua ſignificatione conjicere potero, ingentes ad majora, quæ incepi opera perficienda, animos ſumam.

AD LECTOREM ADMONITIO.

Picturas Antiquorum in Cryptis Romanis olim repertas, a Petro Sancte Bartoli accurate delineatas, ærique incisas, necnon a Petro Bellorio, & Michaële Angelo Causeo eruditis, ac doctis notis illustratas, publici juris rursus facimus. Opus tamen ipsum non una de caussa nunc primum prodit absolutius, & exactius.

Enimvero eruditorum Virorum exterarum nationum, & illorum præsertim, qui Italicam linguam minime callent, implentes vota, id Latine redditum exhibemus. Quod, quam fideliter, diligenterque factum sit, sapientium lectorum esto judicium.

Scriptorum loci in explicationibus citati ubique distincte ac sigillatim indicantur. Verba, atque sententiæ ad illustriorum, & absolutiorum editionum fidem, accurate exprimuntur: sublatis mendis, quæ in primam editionem Italicam amanuensis oscitantia, vel Typographi negligentia obrepserunt. Græcorum auctorum testimonia Græco expressa sermone proferuntur, ut germana illorum sententia, & vis pateat. Quod cum primis ab viris doctis, & veritatis amantibus exoptatum, atque petitum est. AEneæ Veterum Picturarum formæ, ubi oportebat, ad prototypa sunt exactæ. Nihil denique prætermisimus, quod typorum nitori, egregii Operis perfectioni, absolutæque editioni pretium conferre potest, unoque tempore literariæ Reipublicæ bono omni prorsus ex parte consulere.

In hac autem novissima omnium editione addita est non mediocris antiquarum picturarum, ac musivorum Appendix, undequaque collectorum, quæ diligenter, ac eleganter primum delineata fuerunt, ac postea non minore diligentia, ac elegantia ære a peritis artificibus incisa, & in xxi. Tabulas distributa. Quæ Appendix quanti facienda sit, supervacaneum ducimus hic pluribus verbis enarrare, quum quisquis has artes vel a primo limite salutaverit, vel Antiquitatis amore teneatur, per se possit optime æstimare.

Minime proinde dubitamus, quin curam & studium nostrum eruditi Lectores tot nominibus sint probaturi; atque ita excepturi Opus, ut eidem, non favorem modo ac patrocinium, verum etiam commendationem, & laudem impertiantur.

OPERIS PROLEGOMENA.

CONSIDERANTI *mihi sæpenumero, ac memoria repetenti, quanto olim in honore fuerit Ars pingendi, & qui ea floruerunt, illam cæteris ingenuis artibus præstantiorem esse habitam, ipsique a sapientissimis Ægyptiorum & Græcorum institutis primas esse delatas, fateri necesse est. Horum primi, præterquamquod Mercurii præscripto, qui leges Ægyptiis tradidit, ad ipsorum sapientissima & arcana mysteria explicanda, delineatis depictisque imaginibus, sive incisis in marmore simulacris, potissimum utebantur, decreverunt insuper, ut ingenui dumtaxat adolescentes, nobilique familia oriundi huic arti operam darent, quorum e numero assumerentur, qui ad sacerdotia & magistratus obeundos deligebantur. Apud Græcos vero Pamphili, Apellis præceptoris, auctoritas adeo valuit, ut adolescentulis summo genere natis illius artis eximiæ studium dumtaxat relinquentes, lege caverint, ne quis ea servos imbuere auderet. Plutarchus præterea, quum prius Atheniensium Imperatorum laudes recensuerit, necnon Themistocle, Pericle, Nicia, Cleone, atque Alcibiade pro dignitate commendatis, minime eos, qui præclarissimam hanc pingendi artem professi sunt, silentio præterit. De Apollodoro itaque verba faciens, qui colores miscere, atque umbris veluti eminentia efficere, quæ in tabulis pingerentur, princeps docuit: necnon Euphranoris mentionem habens, qui in picturæ certamine ad Theseum effingendum, Parrhasio, Niciæ, Asclepiodoro & Plistheneto, Phidiæ fratri, antelatus est (quorum tamen aliqui fortissimorum Atheniensium Ducum prœlia & victorias suis in tabulis depinxerunt) eorumdem patriam bonarum artium, quas ipsa invenit, expolivit, & auxit, benignam parentem atque altricem appellat, interque illas picturæ primas deferre non dubitat *:* Πολλῶν μὲν δὴ καὶ ἄλλων ἡ πόλις ἥδε μήτηρ, καὶ τροφὸς εὐμενὴς τεχνῶν γέγονε, τὰς μὲν εὑραμένη καὶ ἀναφήνασα πρώτη, ταῖς δὲ δύναμιν παρασχοῦσα καὶ τιμὴν καὶ αὔξησιν· οὐχ ἥκιστα δὲ ὑπ' αὐτῆς ζωγραφία προῆκται καὶ κεκόσμηται. *Idest*: Profecto urbs hæc multarum etiam aliarum mater, nutrixque benigna fuit artium: quarum alias prima reperit, inque lucem protulit: aliis honorem, vim, incrementum contulit: non minimam vero ei debet & inventionis & exornationis partem ars pingendi.

* Plutarchus in libr. cui titulum fecit: *Bellone an pace illustriores Athenienses fuerint*, inter *Moralia pag. mihi 345. edit. Lut. Par. 1624. Tom. 2.*

*Tanta fuit huic arti cum sapientia & philosophia conjunctio, ut qui in ea præstiterunt, sapientes habiti fuerint, & appellati. Hinc est, quod Socrates apud Xenophontem, veluti sapientes viros, Phidiam & Praxitelem ad disserendum induxit. Hinc etiam Maximus Tyrius de Zeuxi & Polygnoto sermonem instituens (quorum depictas tabulas Homeri poëseos haud dissimiles judicat, secundum Simonidis sententiam a Plutarcho * relatam, pingendi artem mutam esse poësim; hanc vero picturam esse loquentem) in hujusce artis pigmentis philosophiam agnoscit; ac Pictores suis in operibus Philosophos se præstare fatetur. Divinus ille Plato auditor Socratis, qui tribus in Athenarum arce Gratiis manu sua scalptis, illustris evasit, nedum ex eo, quod unus omnium Apollinis oraculo sapientissimus fuerit judicatus, quum antea picturæ operam dedisset, ut Diogenes Laertius * refert, ad philosophiæ studia se contulit, & plurima hujus præclarissimæ artis præcepta in suis doctissimis Dialogis nobis tradere non dubitavit. Apud eumdem Laertium * legere licet, Pyrrhonem philosophum, a quo Philosophi Pyrrhonii dicti, hanc quoque artem exercuisse. Plinius etiam, Metrodorum quemdam Atheniensem in utroque & philosophandi & pingendi genere excelluisse, memoriæ prodidit. * Quin, quum L. Paullus de Perse Macedonum Rege victor rediens, ab Atheniensibus philosophiæ præceptorem ad filios erudiendos petivisset, nec non aliquem pingendi arte præstantem, qui triumphi sui ornamenta conficeret, ad opus utrumque Metrodorum delectum fuisse refert; quod quidem factum adeo Paullus probavit, ut, quum Urbem triumphans ingrederetur, omnibus edicto palam facere studuerit.*

**Loc. laud. p. 346 in fin.*

**De Vit. Philosoph. Lib. 3. ab Henr. Steph. excus. p. m. 189.*

**Ibid. lib. 9. p. m. 669.*

* *Natur. histor. lib. 35. cap. 11. sect. 40. n. 30.*

Quamvis autem omnes fere, quos innui, ea, quæ decet Philosophos, modestia, ingenuam hanc artem exercuerint; nonnulli tamen summa animi elatione eamdem professi sunt, in eamque viri Principes profuse nimis præmia contulerunt. De ingenti Zeuxis

xis opulentia, ejusque immoderata arrogantia hoc Plinius scriptum reliquit: * Opes quoque tantas acquisivit, ut in ostentatione earum Olympiæ aureis literis in palliorum tesseris intextum nomen suum ostentarit. Postea donare opera sua instituit, quod ea nullo satis digno pretio permutari posse diceret, sicuti Alcmenam Agrigentinis, Pana Archelao. *De Parrhasio vero hoc ab Athenæo, qui ex Clearcho acceperat, memoriæ proditum est:* * Οὕτω δὲ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὰ τῆς τρυφῆς, καὶ τῆς πολυτελείας ἠσκεῖτο, ὡς δὲ Παῤῥάσιον τὸν ζωγράφον πορφύραν ἀμπέχεσθαι, χρυσοῦν στέφανον ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχοντα ὡς ἱστορεῖ Κλέαρχος ἐν τοῖς βίοις. *Idest.* Sic vero apud Antiquos promiscuus fuit sumtuosus luxus, ut Parrhasius pictor aliquando purpura indutus, capiti auream coronam imposuerit, quod a Clearcho in Vitis est proditum. *Licet autem voluptariam prorsus vitam ageret, nihilominus se virtutem consectari gloriabatur, atque a se depictis tabulis hæc insolenter adscribere consuevit:* *

Ἁβροδίαιτος ἀνὴρ, ἀρετήν τε σέβων τόδ' ἔγραψε
Παῤῥάσιος, κλεινῆς πατρίδος ἐξ Ἐφέσου. *Idest:*
Delicatus vir, atque virtutis cultor hoc pinxit
Parrhasius, cui patria est inclyta Ephesus.

Seque pictorum omnium principem appellans, tantum cæteros omnes pingendi arte præstitisse, ut nemo sibi deinceps par esse posset, gloriose nimis prædicabat.

Polygnoto præterea, qui celeberrimum Apollinis Delphici templum atque Athenarum porticum depinxit, hujusmodi tributum fuisse præmium, Plinius tradidit *: Amphyctiones, quod est publicum Græciæ Consilium, hospitia ei gratuita decrevere. *Re vera illa Atheniensium porticus, quæ Poecile a rerum varietate, quæ in ea depictæ fuere, appellata est, tot rerum gestarum monumentis, ac vetustatis exemplis abundabat, ut amplam Zenoni philosophandi materiam præbuerit, idemque ex ea eruditissima suarum orationum argumenta desumserit.*

Profecto Apelles nullum majus Alexandri Macedonis in eum benevolentiæ & existimationis indicium optare poterat, quàm ut pulcherrimam Campaspem, summe a se dilectam, dono ab illa acciperet. Hinc Plinius de eodem inclyto Principe hac super re scriptum reliquit: * Magnus animo, major imperio sui, nec minor hoc facto, quam victoria aliqua; quippe se vicit, nec thorum tantum suum, sed etiam affectum donavit artifici: ne dilectæ quidem respectu motus, ut quæ modo Regis fuisset, modo Pictoris esset.

Demetrius ille, qui ob insignem in expugnandis urbibus virtutem Poliorcetes, idest urbium expugnator dictus est, tantum Picturæ honorem habuit, ut Rhodon insulam obsidione solverit, sicut Plutarchus in ejus vita refert, ne pictam quamdam Protogenis Caunii tabulam, pulcherrimum Jalysum, Solis & Rhodi Nymphæ filium, exhibentem, (septenne quidem opus) violaret. Quin etiam, quum urbs adhuc obsidione cingeretur, Protogenes vero in suburbano hortulo suo, hoc est Demetrii castris, maneret, nec eum armorum & militum strepitus ab opere avocaret: Accitus a Rege, *Plinius narrat,* * interrogatusque, qua fiducia extra muros ageret, respondit: scire se, illi cum Rhodiis bellum esse, non cum artibus. *Magnam profecto confidentiam summus ille vir, sua nescio virtute an Principis magnanimitate fretus, præsetulit; qui etiam ei, ne quod in periculum incideret, militum præsidium attribuit: & cujus depictis tabulis pepercerat, eum incolumem se posse præstare gaudebat; quumque sæpissime Protogenem inviseret, ut se totum Pictori traderet, victoriæ desiderium deponere visus est.*

Neque maximis dumtaxat præter fidem honoribus insignes in hac arte viri decorati fuere; pluris aurea illa sæcula virtutem faciebant, quàm ut eam satis extollere posse crederent. Principes honoribus & præmiis, quæ principes viros decent, illam prosequebantur; Populi vero civibus suis gratiam referendam esse ducebant, qui præclaris operibus immortale patriæ decus pepererant. Hinc factum est, ut complures civitates illustrium virorum depictas tabulas penes se habere, honori sibi ducerent; magisque ob illas, quàm ob alia quæque gloriarentur: sicuti Elæa, & Coos ob Veneres ab Apelle pictas: Rhodos ob Jalysum, admirabile ac prope divinum Protogenis opus: & Syracusæ ob equestrem Agathoclis pugnam, in Minervæ templo depictam.

Ingens pecuniarum vis, quam veteres in picturas erogarunt, vix fidem merere videtur. Tria tantum exempla adducam ex Plinio, qui alia bene multa refert. Hic ita-

* Natural. histor. lib. 35. cap. 9. sect. 36. num. 2.

* Lib. 12. Deipnosophis. p. m. 543.

* Ibidem.

* Natural. hist. lib. 35. cap. 9. sect. 35.

* Ibid. cap. 10. sect. 36. n. 12.

* Ibidem n. 20.

itaque de Alexandri Magni effigie, Jovis fulmen tenentis inſtar, ab Apelle picta; mentionem faciens, hæc ait: * Pinxit & Alexandrum Magnum, fulmen tenentem, in templo Epheſiæ Dianæ * *XX.* talentis auri. Digiti eminere videntur, & fulmen extra tabulam eſſe. *Maximum profecto pretium; quum enim aureum quodque talentum decuplo tanto pluris, quàm talentum Atticum æſtimaretur; hoc autem ſexaginta argenti libras valeret, eodem Plinio teſte, hoc eſt, ut vernaculo utar ſermone, ſexcentos* ſcutatos; *viginti auri talenta, ſi ad Romanæ pecuniæ æſtimationem redigas, viginti ſupra centum* ſcutatorum *millia conficiunt. Plinius idem, Apellis etiam in æmulos benignitatem referens, hæc narrat:* * Apelles & in æmulos benignus, Protogeni dignationem primus Rhodi conſtituit. Sordebat ille ſuis, ut plerumque domeſtica; percontantique, quanti licitaretur opera effecta, parum neſcio quid dixerat; at ille: * quinquaginta talentis (*nempe triginta ſcutatorum millibus*) popoſcit, famamque diſperſit ſe emere, ut pro ſuis venderet. Ea res concitavit Rhodios ad intelligendum artificem; nec, niſi augentibus pretium, ceſſit.

Aſclepiodorum, Apelli æqualem, dignum etiam a Mnaſone Elatenſium tyranno pretium tuliſse, ex eodem accepimus. Huic, *inquit ille,* * Mnaſon tyrannus pro duodecim Diis dedit in ſingulos * minas trecentas. *Quælibet mina ex denariis centum conſtabat, ideſt* decem ſcutata: *trecentæ autem minæ conficiunt tria* ſcutatorum *millia: quod ſi rationem ſubducas, tabulæ pretium ad ſex & triginta* ſcutatorum *millia perveniſſe intelliges. Quid denique de Ariſtide Thebano pictore dicam, qui Apellis quoque tempore floruit? cujus, ut laudatus Auctor refert,* * unam tabulam *centum talentis* Rex Attalus licitatus eſt. *Nempe ſexaginta* ſcutatorum *millibus.*

Verum non Ægyptii, Græcique tantum, ſed Romani quoque præclariſsimam hanc artem plurimi ſemper facere præſetulerunt, eamque ſumma omnium laude, eodem Plinio teſte, * *excoluere. Q. Fabius, quum illuſtres Majorum titulos nihil moraretur, quos illi magiſtratibus recte gerendis, & victoriis ſibi pepererant;* Pictoris *cognomen nobiliſsimæ familiæ ſuæ indidit; atque ab U. C. anno CCCCL. tabulis, in Deæ Salutis templo manu ſua depictis, nomen ſuum inſcripſit. Turpolium Equitem Romanum læva manu pingere conſueviſſe, Plinius * refert; quod quidem, inquit ille, ſuperiori memoria nemo nec vidit, nec audivit. Aterium Labeonem Prætorium, necnon Galliæ Narbonenſis Proconſulatu functum, hujus etiam artis ſtudioſiſsimum fuiſſe accepimus. Q. denique Pedius, nepos alterius Q. Pedii viri conſularis triumphaliſque, cohæredis a Julio Cæſare Dictatore una cum Auguſto ex quadrante inſtituti, quum natura mutus eſſet, oratoris Meſſalæ affinis ſui conſilio, ejuſdemque Auguſti permiſſu, huic arti operam dedit; de quo Plinius:* * Puer, *inquit,* magni profectùs in ea arte obiit.

*Apud Romanos quoque Principes præclariſsima hæc pingendi ars locum ſuum obtinuit; & quorum manus ſceptra & palmas tractare conſueverunt, peniculum interdum arripere, ac tabulæ admovere non detrectarunt. Neronem, ſextum Romanorum Imperatorem, huic arti operam dediſſe, Svetonius * refert. Felicem illum, ſi ingenuum hoc animi ſolatium in reliquum vitæ tempus ſibi paraviſſet; neque de recta virtutis ſemita, quam ab initio ætatis iniverat, unquam deflexiſſet. Hadrianum Picturæ, Sculpturæ, & Architecturæ ſtuduiſſe, Dio * & Capitolinus literis tradiderunt. M. Antoninum, cognomine Philoſophum, huic etiam arti vacaſſe, apud eumdem Capitolinum * legere eſt. Aurelius Victor, ejuſdem perſtudioſum Alexandrum quoque Severum fuiſſe, narrat. Denique Theodoſius junior, Theodoſii Magni nepos, ut refert Zonara, * in maximi Regni occupationibus hujus artis ſtudium non intermiſit.*

Picturæ primum Romæ decus eſſe additum poſt ſubactam a L. Mummio Achajam, auctor eſt Plinius. Tabulis autem externis, *inquit ille* *, auctoritatem Romæ publice fecit primus omnium L. Mummius, cui cognomen Achaici victoria dedit. Namque, quum in præda vendenda Rex Attalus * VI. M. ſeſtertiûm emiſſet Ariſtidis tabulam Liberum Patrem continentem, pretium miratus, ſuſpicatuſque aliquid in ea virtutis, quod ipſe neſciret, revocavit tabulam, Attalo multum querente, & in Cereris delubro poſuit; quam primam arbitror picturam externam Romæ publicatam. *Si notas illas* VI. M. ſeſtertiûm *interpetrari velis* ſeſtertia ſexagies, *efficiunt centum quinquaginta* ſcutatorum *millia; ſin autem* ſeſtertiis ſexcentis, aut ſexcentis millibus *legere placet, reddes hanc ſummam decuplo minorem,* *nem-*

* *Ibidem lib. 35. cap. 10. ſect. 36. num. 15.*

* Harduinus ad hunc locum *viginti talentis* legit, eraſa voce *auri.* Mox addit; *Talenta Attica argenti intellige, quorum vicena monetæ Gallicæ efficiunt libras 48000.*

* *Ibidem n. 13.*

* Harduinus ad hunc locum, *quinquagenis talentis* legit: & in notis ſubdit: *Attica talenta intellige, Gallicæ monetæ libras, ſeu florenos 120000.*

* *Ibidem n. 21.*

* Ad hunc locum ſic Harduinus: *Minæ ſingulæ centenis denariis æſtimantur. Itaque tricenæ, tribus denariûm millibus, ſive, quod idem eſt, ſeſtertiûm millibus duodecim; Gallicæ monetæ libræ ſunt 1200.*

* *Ibid. n. 19.*

* *Ibid. cap. 4. ſect. 7.*

* *Ibidem.*

* *Ibidem.*

* *In Nerone cap. 53. Edit. Seb. Gryph. 1548*

* *In Hadriano: inter auct. Hiſt. Aug. p. m. 32. edit. Seb. Gryph. 1551.*

* *In M. Ant. Philoſop. ibid. p. 107*

* *Annal tom. 3. edit. Baſ. 1557. p. m. 37.*

* *Natur. hiſt. lib. 35. cap. 4. ſect. 8.*

* Apud Harduinum vero ſic: VI. *ſeſtertiûm*: hoc eſt, inquit idem in notis: *ſenies centenis ſeſtertiûm millibus, monetæ Gallicæ libras ea efficiunt omnino 60000.*

nempe quindecim ſcutatorum *millia: quæ quidem pecuniæ ſummula nullo pacto Mummio admirationem attuliſſet, habita pretiorum ratione, quibus in Græcia tabulæ veniebant.*

Plinius præterea, ſæpe antea laudatus, in narratione, quam de illuſtribus Pictorum tabulis inſtituerat, hæc inſuper addit de Tymomacho Byzantio, qui ſub Julio Cæſare floruit: * Tymomachus Byzantius Cæſaris Dictatoris ætate Ajacem ei pinxit & Medeam, ab eo in Veneris Genitricis æde poſitas, * octoginta talentis venundatas; *ſcilicet octo & quadraginta* ſcutatorum *millia. Quum Divus Auguſtus Venerem exeuntem e mari, quæ Anadyomene vocatur (quam Apelles morte præventus inchoatam Cois reliquerat, nec unquam illius inferiorem partem, qui reficeret, reperiri potuit) in delubro patris Cæſaris veluti generis Parentem, dicare vellet, pro ea Cois* centum talenta *ex pendendo tributo (nempe ſexaginta* ſcutatorum *millia) remiſit. Venerem hanc Apellis, pictam ad exemplar Phrynes, quum in Eleuſinorum panagyri, ſpectante univerſa Græcia, nudaſſet corpus ſuum, & in mare ſoluta coma deſcendiſſet, ſcribit Athenæus.* * *M. Agrippam quoque tabulas duas Ajacis & Veneris mercatum eſſe a Cyzicenis* * H. - S. XII. M. *idem Plinius refert;* * *ſcilicet quinquaginta ſupra centum* ſcutatorum *millia, ſi* ſeſtertia centies vicies *interpretari placet, ut ſupra dictum eſt; ſin aliter, erunt tantum quindecim* ſcutatorum *millia. Denique Archigalli pictura (nempe principis Sacerdotum Cybeles magnæ matris Deum) Parrhaſii opus, quam adeo Tiberius Princeps adamavit, ut cubiculo ſuo incluſam teneret, LX. ſeſtertiis æſtimata eſt* *; *nempe centum quinquaginta* ſcutatorum *millia, ſi æſtimatio, quam primam poſuimus, tibi arridet; ſin altera, quindecim millia tantum.*

Sed nos tempus eſt hujus Proœmii facere finem; ſatis enim mihi diſſeruiſſe videmur, ut, quanti fieret a veteribus ars pingendi, oſtenderemus: ſimulque quanti a nobis facienda ſint illuſtres hujus artis reliquiæ, quæ paucis ab hinc annis in Exquiliis, & cryptis Romæ viſebantur: de quibus modo ſermonem habebimus. Quæ quidem quantæ ſint æſtimationis, vel ex hoc intelligi poteſt, quod Carolus Maratti, *alter ætatis noſtræ Apelles, ſumma diligentia ac voluptate ſæpiſſime eas inſpiceret.*

Hinc Petrus Santi Bartoli, *qui multis præclaris operibus illuſtre ſibi nomen peperit, quum recte hoc intelligeret, illas delineandas & incidendas ſuſcepit, eo conſilio, ut eaſdem eruditiſſimi Johannis Petri* Bellorii *ſtylo illuſtratas, denique communi literarum bono publici juris faceret. Verum, quum* Bellorius *ſumma literarum jactura diem ſuum obiviſſet, nec ita multo poſt laudatus* Petrus Bartoli *adverſæ fortunæ ictu de vita deceſſiſſet, opus incoatum dumtaxat reliquit.* Franciſcus *itaque* Bartoli, *patris veſtigiis inſiſtens, quum opus ad exitum perduxiſſet, illud in publicum edere, pergratum Literariæ Reipublicæ ſe facere exiſtimavit. Denique* Michaelangelus Cauſeus *ſeu* de la Chauſſe *ſuas in quaſdam alias veterum tabulas, in cryptis Romæ repertas, elucubrationes addidit; de quibus quoniam ſatis dictum eſt, ad explicationem* Tabularum *tandem accedamus.*

* *Lib. 35. c. 11. ſect. 40. n. 30.*

* Ad hunc locum ſic Harduinus: *Monetæ Gallicæ libras hæc omnino efficiunt, ſive florenos 192000.*


* *Deipnoſoph. Lib. 13. Cap. 6. Edit. Lugd. 1657 p. m. 591.*

* Apud Harduinum vero ſic: XIII. hoc eſt, ut idem ad hunc locum ait: *denarium tribus millibus:* ſive quod idem eſt, *ſeſtertium duodenis millibus. Gallicæ monetæ libras faciunt 1200.*

* *Natur. hiſtor. lib. 35. cap. 4. ſect. 9.*

*Sive, ut ait Harduinus ad hunc locum, *LX. ſeſtertium millibus: Gallicæ monetæ libris, ſeu florenis, ut ajunt, 6000.* Apud Plin. *lib. 35. c. 10. ſect. 36. n. 5.*


TABULA · I ·


TABULA
II.



TABULA·III·




TABULA·IV·





TABULA V.



TABULA VI.





TABULA·VII·



TABULA VIII



TABULA·IX.



EM.^MO ET REV.^MO PNPI DNO IOANNI BAPTISTÆ TIT. S. CÆSAREI CARD.^LI SPINULÆ S.R.E. CAMERARIO.
Regiam Appollinis ingredi Philosophum in hac Tabula omnes mirantur, et uix aliqui sciunt Prins Em.^tiae; quę ab inuidis Ruijnis ædium Titi Vespasiani ad lucem in his lineis reuiuiscit tuo Tutelari numini consecrata ut vsque adhuc incognita orbi terrarum prodeat Fulgentissim.^a et in Signum debiti obsequy non par meritis, et magni operis delineamentum dedicat TABULA·X *Hum.^mus Ossequius.^mus et Obedien.^mus Seru.^s Franciscus Bartoli*






TABULA·XI·



TABULA·XII·



TABULA · XIII ·





TABULA · XIV ·





TABULA XV.


TABULA XVI





TABULA XVIII




TABULA·XVII.





TABULA XIX




TABULA · XX ·





TABULA·XXI·





TABULA XXII·




TABULA XXIII


TABULA XXIV





Pittura antica nelle Terme di Tito

F. Aquila incid.

ANIMADVERSIONES

MICHAELIS ANGELI CAUSEI SEU DE LA CHAUSSE PARISINI

AD

PICTAS VETERUM TABULAS

IN CRYPTIS ROMÆ REPERTAS.



CELEBERRIMÆ apud Veteres Titi Veſpaſiani clariſſimi Romanorum Principis Thermæ fuerunt, quarum reliquiæ in Exquiliis ad S. Petri in Vinculis adhuc ſuperſunt; atque haud longe a Nymphæo ejuſdem Titi (*ſeptem aulas* vulgo *le ſette ſale* appellant) ad uſque ædem Sanctæ Luciæ, vulgo in Silice, ſeſe porrigunt. Hìc itaque apud eaſdem Thermas regiæ illius Principis ædes ſurgebant; quarum inter præcipua ornamenta ſummo apud omnes in pretio habebatur nobile Laocoontis ſimulacrum, cujus pro dignitate Plinius meminit *; quodque ſub Leone X. inventum, idem Pontifex ad Vaticani pontificios hortos deportari curavit. Eodem autem in cubiculo, ubi prædictum e marmore ſimulacrum repertum eſt, hæc depicta quoque tabella omnium in ſe oculos convertebat.

* *Natural. hiſtor. Lib. 36. cap. 5. ſect. 11.*

TABULA I.

Pictura in Titi Veſpaſiani ædibus inventa.

SI nulla apud veteres Scriptores de Græcorum & Romanorum depictis tabulis præconia extarent, quibus illi horum ſplendori luculenter conſuluerunt; hæc profecto, quam modo exhibemus, tabella ſat nobis præberet argumenti, quantum hac pingendi arte inſignes illi viri præſtiterint, ſimulque eos omni laudum genere dignos oſtenderet. Hinc Hannibal Caraccius, qui præclariſſima hac arte ita excelluit, ut nihil poſteris, quod amplius deſiderare poſſent, reliquum fecerit, nedum quod majoribus inviderent, manu ſua tabulam illam delineare voluit; quæ quidem tanti Viri delineatio in Muſeo Canonici Victorii, inter alias nonnullas celeberrimorum Pictorum adhuc aſſervatur: ex qua etiam, veteri exemplari diuturnitate temporis expuncto, præſens tabula deſumta eſt.

Nemo eſt, quem lateat, illuſtre Coriolani facinus, qui *maximi animi, &* *altiſ-*

* Lib. 5. cap. 4. *altissimi co silii vir*, ut ait Valerius Maximus, * quum iniquissime domo ejectus ad Volscos tunc Romanis infestos confugisset, benigne ab eis exceptus, brevi summum apud illos imperium adeptus est; ac frequenter Romanorum exercitibus fusis, victoriis aditum ad Urbis mœnia Volsco militi struxit. Ex adeo propinqua hostium obsidione magnus Civitati timor est injectus. Missi itaque semel & iterum de pace ad Marcium oratores; quumque Romanus Populus, qui reo non pepercerat, ad exulem supplex ire non detrectasset, atrox tamen responsum retulit, nulloque pacto illius animum flectere, atque ab incœpto deterrere valuit. *Missi ad eum deprecandum Legati*, inquit Valerius *, *nihil profecerunt. Missi deinde Sacerdotes cum infulis: æque sine effectu redierunt. Stupebat Senatus: trepidabat Populus: viri pariter & mulieres exitium imminens lamentabantur.* In tanto itaque omnium civium discrimine, Veturia Coriolani mater, & Volumnia uxor ejus duos parvos ex Marcio ferens filios secum, hostium castra petierunt: quò ubi ventum est, simul ac filius matrem aspexit: * *Expugnasti*, inquit ille, *& vicisti iram meam, Patria, precibus hujus admotis: cujus utero te, quamvis merito mihi invisam, dono*; statimque ipse, abductis ex agro Romano legionibus, retro ab Urbe castra movit. Videre itaque est Coriolanum *num.* 1., qui dextera hastam tenens, læva nititur clypeo, & Matris allocutionibus aures videtur præbere: indutum bicolori thorace, croceo & puniceo: necnon militari more, breviori tunica crocei pariter coloris: denique rubro amictu veluti præcinctum. Veturia vero mater *num.* 2. muliebri stola, quæ usque ad imos pedes demissa est, crocei æque coloris, induitur: caput fronte tenus obvolutum est linteo quodam cæruleo. Uxorem autem *num.* 3. albida talaris tunica, & puniceus amictus tegit. Alia denique mulieris effigies *num.* 4., quæ cubito innititur, oblonga pariter tunica cærulei coloris induitur.

* Ibidem.

* Apud eumd. ibid.

TABULA II.

In Thermis Titi quædam subterranea conclavia deprehensa.

HAud procul a Nymphæo prædicto, quod *septem aulas* vulgo vocant, (quæ fortasse fuerunt cellæ quædam dictæ caldariæ, frigidariæ, ac tepidariæ pro vicinis proximis Titi Thermis de more constructæ,) quodam in horto prope Amphitheatrum Flavium, (vulgo Colossæum dictum a Colosso, qui positus olim a Nerone in Aureæ Domus vestibulo stetit e regione ejusdem Amphitheatri prope Sacram Viam, qua clivo ascensus erat in Palatinum collem,) splendidas quasdam veterum ædificiorum reliquias præterito sæculo inventas accepimus: quæ quidem ædificia ad easdem Thermas fortasse spectarunt; quas Trajanum, Hadrianum, eorumque in imperio successores auxisse, additisque signis & picturis exornasse, Nardinus * refert. In his autem, quum repurgaretur locus, quamplura conclavia, & concameratæ cryptoporticus, pictis tabulis & vermiculato emblemate exornatæ, deprehensæ sunt; additis insuper picturas inter & emblemata modico intervallo discreta variis plasticis toreumatis: quarum denique pavimenta lithostrata erant, parvulis scilicet coagmentata marmorum crustis.

* Rom. ant. Lib. 3. cap. 19.

In quorum primo hæc pictura inventa.

In præcipuo autem prioris conclavis loculamento, quod in hac secunda tabula exhibemus, pulcherrimam Apollinis imaginem ex vermiculato emblemate confectam, tamquam penicillo depictam, videre erat: qui quidem Apollo lauro redimitus, & cærulea chlamyde indutus, quam fibula lævo humero subnectit, instrumentum quoddam musicum, quod septem ex fidibus constat, lyræ haud absimile, leva manu pulsat. Basi præterea superimpositus aspicitur in orbiculata quadam ædicula magnifice extructa, cujus pondus quatuor ex corinthio genere columnæ sustinent: cui quoque laureæ phaleræ non parvum afferunt ornamentum. Neque hoc abs re; laurus enim, quum poesis & divinationis symbolum esse dicatur, ideo Apollini dicata fuit; quin veteres, si quis lauri frondes sub pulvillo capiti subjectas habuisset, eum vera somnia noctu visurum putabant: Vates autem, ea vescentes plurimum habere auxilii ad futura colligenda, existimabant. Præterea ex ejusdem crematæ strepitu ventura se præsentire posse

autumabant; fragosius enim combusta felicitatem portendere credebatur: contra, si tacita conflagrasset, triste erat augurium, ut ex Tibullo, Propertio, Lycophrone, aliisque scriptoribus colligi potest. Aliam a prædictis Ovidius rationem affert, scilicet quod sicut laurus perenne viret, & quocumque anni tempore frondet, sic Apollo imberbis semper, & nunquam senescens, semperque comatus fingitur; hinc intonsum veteres appellarunt.

*Utque meum intonsis caput est juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos semper gere frondis honores.

* Libr. 1. Metam. ver. 565.

Athenienses præterea septimo quoque Lunæ die, hymnum in honorem Apollinis decantantes, laurum solemni pompa deferre consuevisse, Proclus in Hesiodo memoriæ prodidit, ut narrat Vossius. Orbiculata præterea ædicula orbicum Solis cursum, qui idem cum Apolline Deus est habitus, nobis repræsentat: ejus cyanea chlamys cæruleum cœli colorem indicat: quatuor columnæ quatuor anni tempora: septem fides musici instrumenti, quod pulsat, septem pariter globorum certum motum demonstrat.

Duo præter explicatum eodem in conclavi extructa erant loculamenta; quorum alterum vermiculata pariter emblemata exornabant, quæ semihominum, monstrorumque figuras exhibebant; in altero quædam veterum ædificia depicta visebantur.

Aliud præterea spectabatur conclave, cui quatuor depictæ tabulæ, Adonidis fabulam exhibentes, ornamento erant, quarum exemplaria inter cetera veterum monumenta illustris de Maximis Familiæ adhuc asservantur; illam enim antiquitatum studiosissimus Cardinalis Camillus insignis Musei sui hæredem testamento reliquit.

TABULA III.

In altero conclavi in eisdem Titi Thermis, quatuor, quæ sequuntur, spectabantur depictæ tabulæ; ac primum hæc, in qua fabulosus Adonidis ortus exhibetur.

Fabulosus Adonidis ortus neminem profecto latet, cujus mater Myrrha, quum, nefando Cynaræ Cypriorum Regis patris sui amore capta, nutricis auxilio cum illo, ignorante quod filia sua esset, concubuisset die solemni Cereris, quo mater ejus operata secubabat a viro, patris thalamo plena incesto concubitu excessit. Postquam vero pater filiam esse rescivit, pudore coactus est ferro stricto eam insequi. Ipsa metu territa in Arabiam profugiens, fessa apud Sabæos requievit, ibique Deorum misericordia in arborem, quæ ejus nomen retineret, mutata est: ex qua tamen, licet in arborem versa, ut refert Ovidius, * scissa cortice nimio Solis ardore, puerulus nascitur, quem Adonidem cognominant, quem etiam Najades excepere eo prorsus pacto, quo in hac tabula licet aspicere.

* Met. lib. 10. fab. 9. & 10.

Primum itaque parietem, qui a tergo est, cœruleum vestit aulæum eo dispositum ordine, ut Veneri, Nymphisque tentorium quoddam excitatum videatur. Nympharum altera *num.* 1. genu submittens (cujus pectus, lævumque brachium denudatum, reliquum verò corpus croceo extrinsecus, subtus albido linteo velatum aspicitur,) infantem *num.* 2. de stipite Myrrhæ vix in lucem editum utraque manu protendit, & Veneri offerre velle videtur. Stat Dea *num.* 3. læva manu arborem Myrrham, dextera regale sceptrum tenens: est illi caput diademate ornatum, comti capilli, quorum fimbriæ mira elegantia in humeris crispantur: corpus pube tenus seminudum apparet, reliquum subalbido extrinsecus, intus candido tegitur linteo, quod e dextero brachio pene ad talos usque flexuose decidit. Oculos in puerulum Venus intendit, ejusque vicem miserescere videtur. Altera dextrorsum Nympha *num.* 4. lævam manum, colloquenti similis, elatam tenet: talari albaque, & sine manicis de more tunica induitur: viride præterea linteum ei a lateribus dependet, quo dextera manus obtegitur. Videre denique est Venerem & Nymphas tum hujus tabulæ, tum sequentium, utroque in brachio aureas armillas gerere.

TA-

TABULA IV.

Altera ejusdem Conclavis tabula, in qua Adonidem sub imagine Bacchi videre est.

ALtera hæc depicta tabula, cui cœruleum pariter aulæum retrorsum est ornamento, tres præfert imagines. Stat medius adolescentulus quidam *num.* 1. sine tegmine, tempora lauro redimitus: lævo brachio supra caput elato candidum innectitur pallium, quod per dorsum a vertice dependens alterius brachii cubito involvitur: dextera vero thyrsum retinet. Dextrorsum autem & sinistrorsum binas videre est mulieres, seu Bacchas, quarum altera *num.* 2. colligatis partim crinibus, partim solutis, candida tegitur stola ad vestigia usque demissa; super quam aliam subalbidam induit pallam, media crura pertingentem: gestatque viridem amictum, qui lateribus dextroque brachio involvitur. Est illi præterea pectus lævumque brachium croceo cingulo præcinctum; necnon orbicus quidam ornatus lævo in humero, crocei pariter coloris: binas denique tibias manibus gerit, easque ori admotas inflat, digitisque partim adductis, partim reductis temperat. Tibiis autem ideo in Orgiis veteres cecinisse scriptum reliquit Phurnutus, * ut quorumdam populorum mores referrent, qui ad tibiam vindemias agere consueverunt. Χρῶνται inquit, δὲ πολλοὶ καὶ αὐλοῖς παρὰ τὴν συγκομιδὴν τοῦ καρποῦ, καὶ ἄλλοις τοιούτοις ὀργάνοις. *Tibia autem in usu est apud plerosque, quando uvas decerpunt, botrosque colligunt*. Baccharum vero altera *num.* 3. crine fluxo, tympanum seu crepitaculum dextera quatit: quo pariter veteres in Orgiis, ut refert Athenæus, utebantur: læva thyrsum sive ferulam detinet. Hæc autem talari sine manicis tunica punicea induitur; illique est insuper croceus amictus, qui e lateribus ad genua usque dependet.

* *Lib. de Nat. Deor. cap. 30. cui tit. De Baccho:*

Animadvertendum præterea est, hujus picturæ auctorem sub imagine Bacchi Adonem nobis exhibere voluisse; neque abs re; Adonis enim idem cum Baccho Deus est habitus juxta Ausonium *:

Βάκχος ἐν ζωοῖσιν, ἐν φθιμένοις Ἀϊδωνεύς. Idest:
Bacchus sum in vivis, in defunctis Aidoneus.

* *Epig.* 28.

Et alias *:

Ogygia me Bacchum vocat:
Osirin Ægyptus putat:
Mystæ Phanacen nominant:
Dionyson Indi existimant:
Romana Sacra Liberum:
Arabica gens Adoneum:
Lucaniacus Pantheum.

* *Epig.* 29.

Quod quidem cum Plutarchi * sententia apprime facit, qui Adonem eumdem ac Bacchum habitum fuisse docet; ideoque simillimis quibusdam cæremoniis in utrorumque Sacris veteres usos fuisse scribit. Hinc est, quod proxima tabula tres Charites exhibentur; quas Veneris & Liberi filias esse quidam arbitrarunt, ut refert Servius ad illum Vergilii locum: * ——————— *at memor ille Matris Acidaliæ*. Illas harum auctor tabularum Veneri Bacchoque, quos priores exhibent tabulæ, saltantes addidit, veluti parentum lætitiam prosequi viderentur. Laurus denique, quo Adonis caput redimitur, illum cum Apolline & Sole eumdem esse, juxta Macrobii * sententiam, palam facit.

* *In Sympofiac. Lib 4. quæst. 5. edit. Lutet. Parif. 1624. pag. m. 671.*

* *Lib. 1. Æneid. vers. 724.*

* *Lib. 1. Saturnal. cap. 21.*

TABULA V.

Tertia ejusdem Conclavis tabula, in qua Charites chorum ducentes exhibentur:

QUinta hæc Tabula tres Nymphas, sive potius Charites, pedibus choreas plaudentes complectitur: quarum quidem corporum motiones atque gestus venustissimi videntur. Illarum enim altera, *n.* 1. postica corporis parte superne denudata, croceum quoddam linteum, subtus candidum, gerit; quod dextero ab humero dependens, vehementiori deinde saltationis motu concussum, & ventulo inflatum, ad lævam, detecto dorso, rejicitur; ac denuo ad dexteram revocatum coxendices cruraque superintegit. Altera ve-

vero *n.* 2. brachiis nuda, lævaque coxa & crure, & cingulo pectori fuccincto, fubalbidam talarem induit tunicam. Tertia denique *n.* 3. oblonga tegitur viridi palla, pectori pariter colligata. Harum ambæ candidi cujufdam recinii fimbrias brachiis quoque detinent, quod ventulo huc illuc veluti impulfum molliter per auras volitat.

Gratiæ autem Veneri præ ceteris Diis a poëtis attributæ fuere, qui & eas nudas finxerunt; licet apud prifcos homines vefte velatas illas effingi confuevisfe, Paufanias * tradat. Suum infuper habebant & Gratiæ templum apud Eleos Græciæ populos, ut idem Paufanias refert. *Simulacra*, inquit ille *, *lignea funt, vefte inaurata: facies, manus, & pedes e candido marmore*. Hinc eft, quod Horatius *decentes* illas appellat, quum eafdem adventante Veris tempore cum Nymphis fub noctem chorum ducentes, commodis fane verbis depingit *, eo prorfus pacto, quo hac in tabula videre eft.

Solvitur acris hyems grata vice Veris, & Favoni;
Trahuntque ficcas machinæ carinas.
Ac neque jam ftabulis gaudet pecus, aut arator igni;
Nec prata canis albicant pruinis.
Jam Citherea choros ducit Venus, imminente Luna,
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede.

Veris tempus Veneri præcipue addictum docet Lucretius; *
It Ver, & Venus, & Veneris prænuntius ante
Pennatus graditur Zephyrus veftigia propter.

Menfem præterea Aprilem παρὰ τὴν Ἀφροδίτην dictum effe, fcribit Plutarchus *, eo quod Veneri dicatus effet, quæ dicitur Aphrodite. Hinc laudatus Horatius, quum Phyllidem amicam invitaret, ut fecum natalem Mœcenatis diem celebrare vellet, fic eam adloquitur: *

. . . . *Idus tibi funt agendæ,*
Qui dies menfem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Gratias infuper veterum quidam quatuor agnoverunt, ficuti & Horas, quas eafdem cum anni temporibus exiftimarunt, volvendis annis addictas, quafque faltantes depinxit Philoftratus *; veluti Charites & Horæ eædem effent. Lacedæmonii fane, atque Athenienfes Gratias duntaxat duas colebant, ut Paufanias * refert; idem tamen paulo poft addit, Deli atque Athenis in Arcis veftibulo Gratias numero tres depictas fuiffe: quarum nomina Hefiodus * protulit: nempe Εὐφροσύνη, lætitia & hilaritas: Ἀγλαΐη, fplendor & decor: Θαλίη, feftivitas; licet Homerus aliis eas nominibus donaverit. Eteoclem denique, Orchomeniorum regem, primum omnium Gratiis facra feciffe, memorat laudatus * Paufanias: quo factum eft, ut a Theocrito * *Eteocleæ* fint appellatæ; Ὦ Ἐτεόκλειοι Χάριτες Θεαί. *O Gratiæ Eteocleæ Deæ*. Eumdem quoque Eteoclem primum pariter Gratiarum templum exftruxiffe docet Strabo *.

* In Bœot. five lib. 9. cap. 35.
* Eliacorum pofter. five Lib. 6. cap. 24.
* Lib. 1. Od. 4.
* Lib. 5. de Rerum Nat. ver. 683.
* In Numa edit. Latin. Venet. 1502. pag. mihi 18. 6.
* Lib. 4. Od. 11.
* Icon. Lib. 2. n. 35.
* Lib. 9. suprad. cap. 35.
* In Theogonia Edit. Plant. 1603. pag. m. 298.
* Ibidem.
* Εἰδύλ. ιϛ. ver. 104.
* Lib. 9. Geograph. edit. Amftel. 1707. p. m. 635.

TABULA VI.

Poftrema conclavis prædicti tabula, in qua Venerem videre eft, quæ Adonidem detinet, ne venationis periculis fe committat.

HAc vero in Tabula, Adonidis, quem Venus in deliciis habuit, ac ipfius Veneris imaginem videre eft; quæ dat operam, fi quid monendo prodeffe poffit, ne Adonis venationis periculis fefe committere audeat. Sedet Venus *n.* 1. mœfta vultu, caput lævo innixa cubito dexteroque brachio fuper fellam rejecto, in amafium oculos intendit. Candidam fine manicis talarem induit tunicam, humeris brachiifque detectis; quam fuper croceum gerit amictum, fubalbido cum velamine, quod fuper fedile defluit. Proxime autem, & fecundum Deam ftat Nympha, *n.* 2. quæ candida fine manicis pariter oblonga tegitur palla; dextramque fuper Veneris humerum tenens, lævo cubito fellæ innititur. Adonis vero *n.* 3. denudatus cernitur, fubalbidam gerens chlamydem, quæ ex humeris per dorfum dependet. Eft illi caput regio cingulo

circumdatum, cujus fimbriæ ſuper humeris criſpantur: dextera autem haſtam terræ obverſam detinens; lævâ anum quamdam, quæ illum brachio apprehenſum retinet, ejus verbis minime motus a latere ſuo repellere velle videtur. Huic autem vetulæ *n.* 4. caput linteo quodam, fronte tenus obvolutum eſt: ipſaque candida atque oblonga tunica, lævo nudato brachio, induitur; viridi cum amictu, qui dextero ab humero pendens, lateribus involvitur. Ex hujus inſuper mulierculæ corporis habitu geſtuque conjecturam capere cuique licet, id maxime vetulæ illi eſſe curæ, ut Adonidem ab inito venationis conſilio, ferocium præcipue belluarum, deterreat; eique perſuadeat, ut voluptatibus potius, otioque cum Venere, (quam Adonidis uxorem fuiſſe prodit Lactantius, *) fruatur. *Sed ſtat monitis contraria virtus*, ut hac in re inquit Ovidius *; fortiſque animi adoleſcens ingenua ſtudia, vitæ licet diſcrimina ſint adeunda, humili inertiæ, quæ principem virum gloriæ cupidum minime decet, præferenda eſſe exiſtimat.

*Firm. libr. 1. de falſ. Rel. cap. 17.
* Metam. libr. 10 fab. 12.

Adonidem præterea Myrrha, patris ſui ſemine prægnans, deindeque in arborem verſa, ideo dicitur genuiſſe, quod ex hujuſmodi arbore ſuccus odore ſuavis manat; Ἄδων autem Græce dicitur *ſuavitas* ab ἅδω *placeo*: qui quidem ſuccus, quum fervidius libidinem excitet, ut apud Petronium legere eſt, ideo illum a Venere in deliciis habitum fuiſſe veteres finxerunt. Ad quam fabellam hæc habentur apud Fulgentium *: *Quid ſibi vult hæc fabula?* inquit ille, *Myrrha eſt ex genere arborum, quæ Solis calore crepant. Jam quia Solis vi quaſi genitali prægnans parit, patrem amaſſe dicitur: illa itaque juſto partus tempore rhagades facit, per quas ſuccum deſudat, qui myrrha dicitur: & redolentibus lacrymoſa guttulis, fletus ſuaves ſciſſuris hiantibus emittit.* Quidam autem ab Jove, Venere, & Proſerpina Adonidem ſimul dilectum fuiſſe tradiderunt: atque hinc eſt, quod ille a Theocrito * τριφίλητος, nempe *valde amabilis*, dictus eſt. Alii vero Venerem dumtaxat, & Proſerpinam illum mirum in modum dilexiſſe autumant: cum quibus etiam Cornutus * facit, qui ſex menſium ſpatio illarum ſingulas eo frui conſueviſſe tradit; atque in Adone ſatum nobis triticum repræſentari docet: Ejus autem verba addere placet: Ὅπερ ἀνὰ μέρος παρ' ἓξ μῆνας, ὑπὲρ γῆν τε καὶ ὑπὸ γῆν γιγνόμενος Ἄδωνις, ἀπὸ τοῦ ἅδειν τοῖς ἀνθρώποις, οὕτως ὠνομασμένος τοῦ δημητριακοῦ καρποῦ. *Cui* (ſemini ſcilicet) *reſpondet Adonis, quod quotannis ſex menſibus in terra lateat, & ſex menſibus appareat, ſic dictus* ἀπὸ τοῦ ἅδειν: *ideſt, quod nos ſatiet cereali cibo.* Et paullo poſt: Διατετάχθαι δὲ ὧδε περί τε τῇ Ἀφροδίτῃ, τὸν ἴσον χρόνον μένειν τὸν Ἄδωνιν, καὶ περὶ τῇ Περσεφόνῃ, δι' ἣν εἴπομεν αἰτίαν. *Ajunt autem, Adonidis vitam ita eſſe ordinatam, ut ex æquo nunc convivat Veneri, nunc Proſerpinæ. Qua ratione vero id fiat, ſupra explicavimus.* Ex qua quidem nonnullorum ſententiâ orta eſt fabella, illum ſcilicet prius vita functum, ad lucem denuo revocatum fuiſſe. Ad hoc autem facit, quod hac ſuper re ſcriptum reliquit Lucianus. *Porro & Bybli*, inquit ille * *vidi templum magnum Veneris, Bybliæ cognomento, in quo & ritus quoſdam in Adonidem peragunt. Cognovi autem & ipſe ritus eos. Dicunt igitur, factum illud, quo ab apro percuſſus Adonis fuit, in ſua terra contigiſſe, & in memoriam rei verberantur annis ſingulis, & lamentantur, & ritus ſolemnes peragunt, ac ipſis magni adeo luctus per totam regionem indicuntur. Poſtquam autem verberandi ac deplorandi finis factus eſt, principio quidem inferias Adonidi peragunt, perinde ac mortuo exiſtenti; poſtea autem ſequenti die & vivere ipſum dictitant, & in aerem ſurſum mittunt, & capita detondent; quemadmodum Ægyptii, quando apud ipſos Apis mortuus eſt.* Paullo vero poſt hæc idem * addit. *Eſt autem & aliud miraculoſum in terra Bybliorum. Fluvius quidam ex Libano monte in mare defertur: fluvio nomen eſt Adonis. Hic quotannis cruore inficitur, & colorem amittit, & in mare exiens ipſum quoque pelagus magna ex parte purpureum efficit, Bybliiſque lugendi tempus indicat.* Hoc autem eos per ipſos dies, quibus interfecto Adonidi inferiæ perſolvebantur, menſe ſcilicet Quinctili, juxta plurimorum ſententiam, quam S. Hieronymus * refert, evenire conſueviſſe, memoriæ proditum eſt. Macrobius inſuper, qui omnes veterum Deos ad Solem referendos exiſtimat, Adonidem quoque Solem eſſe non dubitat: cujus quidem hac de re verba adſcribere operæ pretium erit. *Phyſici*, inquit ille, * *Terræ ſuperius hemiſphærium, cujus*

*Mythol. libr. 3. inter ejus opera Edit. Baſil. 1688. p. m. 899.
* Εἰδυλ. ιέ. verſ. 86.
*Lib. de Nat. Deor. cap. 28. cui tit. *De Cerere & Veſta*.
* De Syria Dea, edit. Baſil. tom. 3. pag. 750. & ſeq.
* Ibid. p. 752.
* In Com. in Ezech.
* Lib. 1. Saturnal. cap. 21.

*jus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius vero hemisphærium Terræ Proserpinam vocaverunt. Ergo apud Assyrios sive Phœnicas lugens inducitur Dea *, quod Sol annuo gressu per duodecim signorum ordinem pergens, partem quoque hemisphærii inferioris ingreditur, quia de duodecim signis zodiacis sex superiora, sex inferiora censentur. Et quum est in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur Dea, tamquam Sole, raptu mortis temporalis, amisso, & a Proserpina retento, quam numen terræ inferioris circuli, & Antipodum diximus. Rursumque Adonin redditum Veneri credi volunt, quum Sol, evictis sex signis annuis inferioris ordinis, incipit nostri circuli lustrare hemisphærium cum incremento luminis & dierum. Ab apro autem tradunt interemtum Adonin, hyemis imaginem in hoc animali fingentes; quòd aper hispidus & asper gaudet locis humidis & lutosis, pruinaque contectis, proprieque hyemali fructu pascitur glande. Ergo hyems veluti vulnus est Solis, quæ & lucem ejus nobis minuit, & calorem; quod utrumque animantibus accidit morte.*

* *Venus.*

TABULA VII.

SI veteres Floram aligeram effingere consuevissent, pulcherrimam, quæ hac Tabula exhibetur, imaginem, hujus Deæ effigiem esse, facile in animum inducerem. Illi apud Ovidium * Chloris nomen est, Zephyro nupta, quem Lucretius * *pennatum* appellat; sicuti & ventos omnes Ovidius, Silius, ac Juvenalis aligeros nobis depingunt: quin & Regius ipse Vates, *Deum volare, & ambulare super pennas ventorum*, cecinit *. Quocirca uxori etiam alæ cum Zephyro communes esse potuere; quæ quidem *Mater florum*, eadem nempe cum Vere, ab eodem Ovidio * appellata est:

Mater ades florum, ludis celebrata jocosis.

Hinc est, quod illam florum coronis exornatam, ut hac in Tabula videre est, laudatus Poeta nobis effinxit *:

Mille venit variis florum Dea nexa coronis.

Venustissima quidem hæc imago videtur: expansis enim alis, utraque manu capiti admota, tempora rosea præcingit corona: superne autem pube tenus denudata, necnon dextera coxa, & crure detecto, cœruleo induitur velamine, quod ventulo inflatum molliter per auras retrorsum volitat. Hanc autem, & binas proximas Tabulas in Exquiliis pariter repertas, memorant.

Pictura in Exquiliis, æque ac aliæ repertæ; quæ Floram exhibet.

* *Lib. 5. Fast. vers. 195.*

* *Lib. 5. de Rer. Natur. ver. 683.*

* *Psal. 17. & 103.*

* *Ibid. vers. 183.*

* *Id. lib. 4. Fast. vers. 945.*

TABULA VIII.

SIcuti proxima in Tabula Veris imaginem nobis exhibitam significavimus, in hac pariter Auroram videre est, quam ex Horis altera præit: quas quidem Horas Cœli portis præesse, Homerus docet: * quem imitatus Ovidius easdem cum Jano foribus Cœli adscripsit, ita Jano apud eum * loquente:

Præsideo foribus Cœli cum mitibus Horis.

Idemque addit illas tenuiculo indutas velamine in prata sese conferre, ut ex decerptis hinc inde floribus serta capiti innectant. Hæc sane caput florea cingit corona: dextraque lancem rosis repletam gerens, læva roseum pariter sertum præfert. Insuper sine manicis tunica, quæ in umbris rubri est coloris, viridis autem in lucidis, pectori subligata (lævo etiam expapillato brachio) induitur: versicolori præterea ornatur amictu, cœruleo nempe & croceo, qui post tergum per auras volitat. Auroram ipsa præit, rubra sine manicis pariter tunica indutam; quæ insuper nubibus vecta, coronam sibi ad caput accommodat: dextera vero rosas ex paropside carpens, eas per aerem jamjam dispersura videtur, non aliter ac narrant Poetæ. Rosas quidem Auroræ sacras fuisse testatur Ausonius *, dum illi roseum colorem esse significat.

Ambigeres, raperetne rosis Aurora ruborem,
An daret, & flores tingeret orta dies.

Ovidius sane rosarum plena Auroræ atria nobis depingit *: Homero autem Aurora est ῥοδοδάκτυλος *, nempe *roseos digitos habens*: Vergilius insuper, eodem usus

Pictura altera in Exquiliis pariter reperta, Auroram exhibens.

* *Iliad. 5.*

* *Lib. 1. Fast. vers. 125.*

* *Edyl. 14. vers. 15.*

* *Metam. lib. 2. vers. 113.*

* *Iliad. α.*

*Lib. 7. Æneid. vers. 25.

ullus loquendi genere, illam roseis bigis vectam cecinit *:

Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Quum venti posuere.

Minime denique prætereunda est summa Pictoris ingenii vis; qui enim a primo Sole in horizonte conspiciuntur colores, iisdem etiam suas vestire imagines elegit. Tota demum hujus Tabulæ area cœrulei coloris est.

TABULA IX.

Depicta Tabula Faustinæ apotheosin exhibens in Thermis Trajani, & Hadriani detecta usu.
*Tab. II.
*Libr. 3. cap. 10.

TRajani Hadrianique Thermas in ipso Exquiliarum colle sitas jam significavimus *, a Titianis haud longe distantes, quas eosdem Principes auxisse, additisque ornamentis excoluisse, rationi consentaneum est; quum Thermas alias adeo proximas illos separatim exstruxisse a fide abhorreat, ut optime docet Nardinus *. Hinc mirum non est, quod in altero earumdem Thermarum conclavi hujusmodi deprehensa sit depicta Tabula, quæ nobis Junioris Faustinæ, Marci Uxoris, imaginem, atque ejus Apotheoseos monumentum exhibet; quum enim nullas sibi M. Aurelium peculiares Thermas exædificasse acceperimus, exstructis profecto a suis decessoribus Thermis illum usum fuisse, facile crediderim.

Inter Anaglypha ex arcu vulgo *Portugalliæ*, sub Alexandro VII. diruto, quod viam Flaminiam, Urbis Hippodromum impediebat, & in Capitolium translata, ejusdem Faustinæ imaginem videre est, quæ a Diana Lucifera alata, utraque manu facem gerente, veteri superstitione inter Divas ad cœlum asportatur: quemadmodum in ejusdem consecrationis numismate, in quo ÆTERNITAS inscribitur *. In hac vero Tabula illam a quodam Genio in cœlum efferri spectamus; qui profecto Genius expansis alis volanti similis, rubro præcingitur amictu: dextraque tympanum ex cinnabaris colore, orbica forma, veluti immortalitatis typum, protendit. Subalbum præterea velum Faustinæ capiti impositum cernitur, ut moris fuit mulieribus Augustis jam Divis: crocea insuper, lævo detecto humero, induitur stola, quæ ad vestigia usque demittitur: dextraque mento admota, alteri Genii alæ cubito innititur: lævoque brachio, super ejusdem humerum transmisso, velum quoddam apprehendit, quod ex Genii humeris dependet.

*Meminit Vaillant inter selectiora Numismata, in Faustina Juniore.

Quum autem quadam in epistola, Neapoli typis edita *, de Antonini Pii consecratione in ejusdem Columnæ stylobate insculpta, (quam quidem Columnam in ejus foro in Campo Martio ei decrevit, erexitque Senatus; quæque per tot sæcula ingloria in Citorio Monte latens, Clemente XI. jubente, qui in prisci illius ævi reliquiis ab omni temporum injuria reparandis studiosissimum, quin imo liberalissimum doctrinarum omnium ampliatorem, ingenuarumque artium parentem ac patronum se præstitit, novam hanc lucem aspexit *) satis multa hac de re verba fecerim; quam etiam nonnulli scriptores pertractandam susceperunt; ne actum agere, benignoque lectori negotium facessere videar, a longiori hac super re dissertatione supersedendum duxi.

*Neapoli apud Fel. Mosc. 1704. 8.
*De qua videnda Johannis Vignoli Dissertatio, qui & Columnæ, & ipsius stylobatis ectypum refert.

TABULA X.

Picta in ruinis Ædium Titi Vespasiani reperta.

EX sacris gentium monumentis, quæ huic Tabulæ sunt ornamento, Apollinis Regiam licet agnoscere; quæ quidem quum veterum gentium laudibus bene multa per secula celebris extitit, tum vero nostra memoria celeberrima evasit; quum ei sub Johannis Baptistæ Cardinalis Spinulæ S. R. E. Camerarii auspiciis in lucem prodire contigerit: qui profecto in veterum monumentis ab oblivione vindicandis diligentissimum se præbuit: cujus etiam excelsæ animi dotes illis omnibus longe præstiterunt, quas veteres ad ipsorum Deos illustrandos excogitasse videntur.

Primum itaque Lyra, ac Tripus quædam veluti tesseræ fuerunt, quibus Apol-

Apollo dignoſcebatur: Lyra quidem, quod ejus inventio Apollini tribuebatur: Tripus vero, quod, juxta Cornuti * ſententiam, ternarii numeri perfectionem exhibet, ſive tres Cœli zonas, quarum alteram Sol ipſe ſecat, dum annuum curſum conficit. Ὁ δὲ τρίπους (inquit ille,) διὰ τελειότητα τοῦ τῶν τριῶν ἀριθμοῦ δέδοται αὐτῷ. δύναται δὲ καὶ ἀπὸ τριῶν παρ' ἀλλήλων κύκλων, ὧν ἕνα μὲν τέμνει κινούμενος τὴν ἐνιαύσιον κίνησιν ὁ ἥλιος· δυοῖν δ' ἐφάπτεται. *Tripus autem Apollini conſecratus eſt propter ternarii perfectionem. Plurimum autem poteſt propter circulos tres alternatim poſitos, quorum unum ſecat Sol means per annuum curſum, reliquos autem duos attingit.* Tripus ſane Delphicus, Pythonis ſerpentis corio tectus, in quadam ſubter templum cella aſſervabatur, ubi Pythia Apollinis ſacerdos, ſpiritu afflata, reſponſa conſulentibus dare conſuevit. Lucanus *:

* *Libr. de Nat. Deor. cap. 32. cui tit. De Apolline & Diana.*

. . . . Tandem conterrita Virgo
Confugit ad Tripodas *, vaſtis immerſa *cavernis*
Hæſit, & inſueto concepit pectore Numen.

* *Libr. 5. verſ. 161.*

* Alias, *vaſtiſque obducta.*

Huic autem Pythiæ nomen a Pythone ſerpente eſt inditum, quem jaculis ſuis Apollo adhuc puer fertur interemiſſe: ſicuti & ludi quidam, quos veteres in Apollinis honorem celebrabant, quoſque Apollo ipſe inſtituerat, Pythia ſunt dicti ob cædem Pythonis ſerpentis nocentiſſimi. Ovidius *:

Inſtituit ſacros celebri certamine ludos,
Pythia perdomitæ ſerpentis nomine dictos.

* *Libr. 1. Metam. ver. 446.*

Tripodem inſuper Caracallæ, Getæ, & Salonicæ, necnon quarumdam familiarum Romanarum numiſmata referunt. * Neque vero abs re fuit, quod veteres Apollinem præcipue vaticiniis præſidem agnoverunt; ille namque cum Sole idem eſt habitus, qui ſplendore ſuo omnia detegere ac patefacere conſuevit; ſuoque annuo curſu in gyrum peracto, Aſtronomiam profitentibus viam munit, quo facilius futura queant inveſtigare.

* *Apud Vaillant Num. Ær. Imp. Edit. Pariſ. 1688 Tom. 2. p. m. 68. 86. & 357. Necnon in Num. Ant. Fam. Roman.*

In hac præterea eleganti Tabula, quæ ab invidis Ædium Titi Veſpaſiani ruinis ad lucem in his lineis reviviſcit, tria omnes delubra mirantur: quorum alterum, & præcipuum *num.* 1. plures ex Corinthio ordine columnæ ſuſtinent: cui pariter Tripus, & proxime Obeliſcus Soli dicatus, ſunt ornamento: ipſique Obeliſco colligatam Lyram, ejuſdemque cacumini Tripodem alterum impoſitum videre eſt. Sphinx inſuper Ægyptia *num.* 2. huic quoque delubro inſidet; cujus facies Virginis, corpus Leonis ſimilitudinem refert: quo quidem ſimulacro Ægyptii incrementum Nili, ejuſque receſſum ſignificare conſueverunt: Nilus enim, Sole per Leonis ſignum tranſeunte, mirum in modum per totam ſpatiatus Ægyptum, terram, pluviis omnibus deſtitutam, aquis ſuis abundantiſſime irrigat; & reſidit in Virgine. Heſiodus * illam Cane Ortho, & Chimera genitam prodit; ejuſque ſimulacra pro templis apponi conſueverunt, eo quod Deorum ſacra, arcanis involuta ſenſibus, a profana procul multitudine inviolata cuſtodiri deberent, ne in vulgus publicata vileſcerent. Non aliter ac Sphingis ænigmata, quæ ipſa apud Thebas inſolubilia tranſeuntibus proponebat: ſicuti callido Oedipo accidiſſe narratur, qui & illa diſſolvit, atque ad humanæ vitæ, hominiſque imbecillitatem eadem eſſe referenda, interpretatus eſt: ut deinceps *in Picturis Antiquis Sepulchri Naſoniorum* * latius explicatur. Qua de re Alciatus * quoque verba facit:

* *In Theogonia, edit. Baſil. pag. m. 137.*

* *Tab. XIX.*

At quibus eſt notum, quid Delphica littera poſſit,
Præcipitis monſtri guttura dira ſecant.
Namque vir ipſe bipeſque, tripeſque, & quadrupes idem eſt.
Primaque prudentis laurea noſſe virum.

* *Libr. 1. Emblem. 46.*

Baccho quoque Sphingem fuiſſe dicatam, vel ex eo licet intelligere, quod in Montaltæ familiæ hortis, quodam in marmore, anaglypho opere exculpto, Faunos inter, ac nonnulla hujus Numinis inſignia, illius etiam ſimulacrum eminet: nec mirum, Bacchum enim eumdem cum Apolline & Sole habitum fuiſſe jam ſignificavimus, quod Servius * etiam ex Porphyrio docet: *Conſtat*, inquit ille, *ſecundum Porphyrii librum, quem Solem appellavit, triplicem eſſe Apollinis poteſtatem, & eumdem eſſe Solem apud Superos, Liberum Patrem in Terris, Apollinem*

* *Ad Virgil. Eclog. 8.*

apud Inferos. Quare tria hujus Regiæ templa, tria pariter in uno Apolline Numina indicare videntur.

Laurus autem, quæ pone templum assurgit, Apollini dicata fuit: quin imo Plinius de Lauro Delphica verbum faciens *, illa victores Delphis, ac triumphantes Romæ coronari consuevisse, tradit. Idemque Delphicam platanum Agamemnonis manu satam commemorat *; Quod quidem cum arboribus, quæ hac in tabula conspiciuntur, apprime facit.

*Lib. 15. cap. 30. sect. 39.
*Lib. 16. cap. 44. sect. 88.

Elegans insuper ac venusta Mulieris stolatæ effigies, *n.* 3. quæ cælata in altera templi facie aspicitur, Pythiam Apollinis sacerdotem exhibet; aut certe Musarum alteram, quæ Apollinis comites fuisse perhibentur: quippe veteres earum singulas singulis Cœli orbibus præsidere voluere; qui quidem orbes, de Platonicorum sententia, Solem, quasi ducem & principem orbium ceterorum, sectantur: cujus etiam mulieris Lyra, quam dextera gerit, cælestium sphærarum motus præstat intelligi, quibus Solem, mediam regionem inter eas obtinentem, moderatorem natura constituit; quemadmodum Macrobius * docet. Hinc mundi animam harmoniam esse, scriptum reliquit Plato *. Necnon Deus ipse sacris in litteris Job famulum suum alloquens, de Cœlorum concentu facit mentionem *. *Quis enarrabit Cœlorum rationem, & concentum Cœli quis dormitare faciet?*

* *Lib 1. cap. 17. & lib. 2. cap. 3. in somn. Scip. Et Saturn. libr. 1. cap. 19.*
* *In Philebo, seu de summo bono; Necnon in Phæd. vel de Anima.*
* *Lib. Job. cap. 38. vers. 37.*

Chlamydatum insuper simulacrum, *n.* 4. quod proxime super basim erectum videre est, Apollinis imaginem, qui telum dextera detinet, præseferre videtur. Aliud pariter, *n.* 5. Termini cujusdam instar, Dianam ejusdem Apollinis sororem fortasse exhibet, quæ viis præerat, ut S. Augustinus * scriptum reliquit: *Apollinem quamvis divinatorem & medicum velint, tamen, ut in aliqua parte mundi statuerint, ipsum etiam Solem esse dixerunt: Dianamque germanam ejus similiter Lunam, & viarum præsidem*. Quamplures quidem Dii apud veteres in modum Hermarum efformari consueverunt; quæ statuæ fuerunt quadratæ, interdum corporis dumtaxat trunco, interdum etiam solo insignitæ capite; atque Termini dicebantur, easque in compitis civitatum erigere in more positum fuit: ἐν ταῖς ὁδοῖς ταῖς ἀδήλοις: *in viis dubiis, & incertis*; ut apud Svidam * legendum occurrit: erantque ex quadrato lapide, vel stipite dedolato. Hinc Tibullus *:

Nam veneror, seu stipes habet desertus in agris,
Seu vetus in trivio florida serta lapis.

* *De Civit. Dei lib. 7. cap. 16.*
* *Lexic. in voce* Ἑρμαῖον.
* *Libr. 1. Eleg. 1. vers. 13.*

Eas porro Plautus * *Lares viales*, Varro *Vicos* appellat; quas etiam veteres dividendis agris passim erectas habuisse videntur. Licet autem ceterorum quoque, veluti Apollinis, Bacchi, Herculis, & Minervæ, simulacris ad hanc rem uterentur; Mercurii tamen imaginem hujusmodi statuis plurimum referri accepimus; (a quo & illis *Hermarum* nomen, Mercurius enim Græce dicitur Ἑρμῆς.) eo quod ille viarum præses, & custos finium præcipuus haberetur. Pontem etiam Fabricium, nunc *quatuor capitum* nomen accepisse docet Franciscus Schottus *Ab Hermis marmoreis quadrifrontibus hic erectis*. * Solebant præterea Romani Mercurii, ac Minervæ statuis quadratis, miro artificio implicatis, quas *Hermathenas* nominaverunt, suas olim bibliothecas exornare; ut ex Ciceronis litteris ad T. Pomponium Atticum * licet intelligere: *Quod ad me* (inquit ille) *de Hermathena scribis, permihi gratum est, ornamentum Academiæ proprium, quod & Hermes commune omnium, & Minerva singulare est ejus Gymnasii. Quare velim, ut scribis, ceteris quoque rebus quamplurimis eum locum ornes*. Hujusmodi quoque statuas virtute ac doctrina præstantibus hominibus Athenienses statuere consueverunt; quadratam enim figuram omnium absolutissimam esse sibi persuaserant: hinc factum est, ut apud illos optimus quisque τετράγωνος ἀνήρ, *vir quadratus* appellaretur.

* *In Mercat. act. 5. sc. 2. ver. 24.*
* *Itinerar. Ital. Libr. 2. cap. 8. edit. Antuerp. 1625. p. 417.*
* *Libr. 1. ep. 3.*

Verum, ut ad propositum Dianæ simulacrum redeamus, a quo parumper digressi sumus, mirum profecto nemini esse debet, si inter Ædium ornamenta Apollini fratri sacrarum, ipsa reliquis Diis, ac Deabus prælata fuerit: eoque magis, quod utrique viarum præsides habebantur, uti docet Macrobius *: *Idem Apollo*, inquit, *apud illos* (nempe Græcos) *&* ἀγυιεὺς *nuncupatur, quasi viis præ-*

* *Libr. 1. Saturnal. cap. 9.*

posi-

positus urbanis. Illi enim vias, quæ intra pomœria sunt, ἀγυιὰς appellant. Dianæ vero, ut Triviæ, viarum omnium iidem tribuunt potestatem.

Jam vero Lacus, qui sacras utrasque Ædes alluit, cujus ripæ piscator quidam *n.* 6. insidet, omnes ad hanc Regiam aditus, uno dumtaxat ad primarias Ædes *n.* 1. relicto, intercludit: scilicet ut hospes Deum prius salutatum, uti decet, templum adeat; quam gradum sistat, magnifica illustris hujus loci ornamenta curiose spectaturus: sive, ut palam omnibus fieret, Dei ac rerum divinarum cultum esse præcipuum, ac solidum Philosophiæ, omniumque doctrinarum fundamentum: simulque ut, priusquam naturæ arcana perscrutemur, illius auctori debitos honores habendos esse ostenderetur. Hujusmodi imbutus præceptis videtur Philosophus *n.* 7. pallio indutus, (quod Philosophorum insigne fuit) qui vultu adeo modesto templum ingreditur, ut a limine usque, quod ibi colitur, Numen venerari videatur. Prædictus insuper lacus Thaletis aliorumque Philosophorum respicit sententiam, qui aquam rerum omnium principium esse asseruerunt. Et hac de causa Neptuno Primigenio Syri immolare consueverunt; quia non tantum homines, sed ipsos quoque Deos ab Oceano initium sumsisse suspicabantur, ut Orpheus * cecinit. Hinc est, quod aquam nonnulli sempiternam esse, in animum induxerunt, ut refert S. Augustinus *: *Quamvis & aquas,* (inquit ille) *quod perversissimæ atque impiæ vanitatis est, negent quidem factas a Deo; quoniam nusquam scriptum est, dixit Deus, fiant aquæ.* Quæ quidem opinio ab Homero, Hesiodo, ac Thaletis sectatoribus profecta est. Idem quoque lacus veterum consuetudinem fortasse indicat, quibus nefas erat Diis superis mactare victimam, nisi fluviali aqua prius lotis ac purificatis. Vergilius: *

* *In hymno ad Oceanum edit. Trajecti 1639. p. m. 179.*

* *De Civ. Dei lib. 12. cap. 34.*

* *Lib. 2. Æneid. vers. 717.*

Tu Genitor cape sacra manu, patriosque Penates;
Me, bello e tanto digressum, ac cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.

Contra vero iis, qui Diis Manibus litabant, mos fuit, ut a Sacerdote trina dumtaxat piacularis aquæ aspersione lustrarentur; ut idem Vergilius docet *:

* *Lib. 6. Æneid. vers. 229.*

Idem ter socios pura circumtulit unda
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ,
Lustravitque viros.

Romanos sane lacus Juturnæ aquis prope Castoris Ædem ad hanc rem usos fuisse accepimus; quæ quidem aquæ ab infimis Palatini Collis radicibus defluebant; easdemque esse nonnulli existimant cum eis, quas nostra etiam ætate Sancti Georgii in Velabro Ædibus proximas videre est. Veteres autem Romani hujusmodi lustralibus aquis criminum maculas deleri posse sibi persuaserant, quos deridet Ovidius *:

* *Lib. 2. Fast. vers. 45.*

Ah nimium faciles, qui tristia crimina cædis
Fluminea tolli posse putatis aqua.

Eosdemque arguit Tertullianus *: *Ceterum quæ ratio est, manibus quidem ablutis, spiritu vero sordente, orationem obire? Quando & ipsis manibus spiritales munditiæ sint necessariæ, ut a falso, a cæde, a sævitia, a veneficiis, ab idolatria, ceterisque maculis, quæ spiritu conceptæ manuum opera transiguntur, puræ alleventur. Hæ sunt veræ munditiæ, non quas plerique superstitiose curant, ad omnem orationem etiam cum lavacro totius corporis aquam sumentes.*

* *Lib. de orat. cap. 11.*

Piscator porro, quem supra innuimus, ex Milesiis piscatoribus alter censeri jure merito posset; qui sane piscatores quum retia jecissent, eisdemque auream tabulam extraxissent, ea Thaleti, dum res in lite verteretur, ex oraculo Apollinis, judicantis illam sapientissimo dari oportere, delata est: ac deinde per manus omnibus sapientibus tradita, ad Solonem pervenit, qui illam Delphos remisit ad Phœbum, ut qui Deorum hominumque sapientissimus esset. Minime quoque a fide abhorret, eidem piscatori illud maxime esse curæ, ut piscem aliquem capiat, quem ex more piscatorum, Apollini in sacrificium offerat, ut refert Athenæus *; qui pariter tradit Citharum piscem, quem Aristoteles *solitarium* appellat, Apollini sacrum esse, ob nominis affinitatem cum cithara; uti do-

* *Deipnosoph. lib. 7. cap. 36.*

docet Apollodorus. Ex piſcibus quoque veteres auguria capere conſueverunt, ut Plinius * refert: *In Lyciæ Myris* (inquit ille) *in fonte Apollinis, quem Curium appellant, ter fiſtula evocati* (piſces) *veniunt ad augurium. Diripere eos carnes objectas, lætum eſt conſultantibus: caudis abigere, dirum.* Denique ad rem facit quod ſcribit Macrobius * de Piſcibus, cœleſti ſigno; *In ultimo ordine Zodiaci* (inquit) *Piſces locati, quos conſecravit Soli non aliqua naturæ ſuæ imaginatio, ut cetera; ſed oſtentatio potentiæ ſyderis, a quo vita non ſolum aereis terreniſque animalibus datur, ſed illis quoque, quorum converſatio aquis merſa, velut e conſpectu Solis exulat. Tanta eſt vis Solis, ut abſtruſa quoque penetrando vivificet.*

*Lib. 32. Natural. Hiſt. cap. 2. ſect. 8.

*Lib. 1. Saturnal. cap. 21. in fin.

Quadrata vero columna, ſolo inſignita capite, *num.* 8. in ejuſdem lacus ripa erecta, Priapum generationis præſidem nobis exhibere videtur, cui rudes plerumque, atque impolitæ ſtatuæ erigebantur, quomodo docet Vergilius: *

Illi falce Deus colitur, non arte politus.

*In opuſcul. Culicis verſ. 81.

Macrobius, qui ut ſupra innuimus, Deos omnes ad Solem referendos eſſe cenſet *, Apollinem pariter, ac Liberum patrem unum ac eumdem Deum eſſe docet. * Hunc vero eumdem cum Priapo prodidit Athæneus *. Quin Svidæ Priapus idem eſt, ac Ægyptiorum Horus; is autem idem, ac Sol. * Hinc eſt, quod ejus ſimulacrum in hujuſce lacus ripa erectum aſpicimus, ut omnes intelligant, nullo pacto ſufficere infinitum illud, cui rerum omnium principium Anaximander adſcripſit; quodque fortaſſe aqua eſſe potuit; Infinitum enim nihil aliud eſt, quam materia, quæ niſi efficiens cauſa accedat, nempe humori calor admiſceatur, in quo procreandi vis ineſt, rem creare nullam poteſt; ut optime docet Plutarchus *, dum laudati Philoſophi ſententiam refert. Quod ad Hermas attinet, quorum inſtar hujuſmodi ſimulacrum erectum videre eſt, Macrobius oſtendens Mercurii aliud non eſſe Numen, quam Solem, quatuor hujuſmodi Hermarum latera nobis indicare, docet, * *Vel totidem plagas mundi, vel quatuor vices temporum, quibus annus includitur; vel quod duobus æquinoctiis, duobuſque ſolſtitiis, Zodiaci ratio diſtincta eſt.*

*Lib. 1. Saturnal. cap. 17.
* Ibid. cap. 18.
* Deipnoſoph. lib. 1. cap. 24.
* In Lexic. in voce Πρίαπος.
* Lib. 1. de Placit. Philoſoph. cap. 3.
* Lib. 1. Saturnal. cap. 19.

In alterius præterea Templi facie, *n.* 9. ſuper baſes quaſdam columnis fultas bini conſpiciuntur Leones; *n.* 10. quorum quidem ſimulacrum apud veteres Solis ſymbolum fuiſſe accepimus: de quo etiam hoc refert Plutarchus: * Καὶ τὸν Λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος,

Ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι. Ideſt:

Et Leonem venerantur, (nempe Ægyptii) *rictibuſque leoninis januas templorum ornant; quia Nilus exundat,*

Titanis primum curru tangente Leonem.

*De Iſid. & Oſirid. edit. Lutet. Pariſ. pag. mihi 366.

Quatuor inſuper in ejuſdem Templi facie diſpoſita vaſcula *n.* 11. quatuor omnium rerum elementa indicant. Licet enim quibuſdam Philoſophis tria tantum exiſtere elementa perſuaſum fuerit, ut ex Plutarcho didicimus, * quum Solis calorem ignis vicem obire crederent: aliique duo tantum, Solem nempe, ac Lunam, ſive calorem & humorem, rerum principia agnoverint; Philoſophorum tamen plerique, ut Plato, Zeno, Chryſippus, Archedemus, aliique, quos Diogenes Laertius * recenſet, quatuor rerum omnium elementa eſſe ſtatuerunt. Quin Pythagoras τετράδα, ſeu τετρακτὺν, nempe *quaternarium numerum* in tanto habuit honore; ut nullum ſanctius ei fuerit, quam per τετράδα, jusjurandum: eidemque quaternario maximam in rebus naturæ vim ineſſe affirmavit; neque ſolum elementa, ſed numeros etiam, quatuor dumtaxat eſſe putavit, necnon quatuor in anno tempora, & quatuor in hominum vita agnovit ætates, ut recte docet Hierocles, * hujus Philoſophi ſententiam exponens: quocirca quaternionem παγὰν ἀενάου φύσεως, *æternæ naturæ fontem* appellare ſolitus eſt. Orpheo quoque tetrachordum erat, nempe inſtrumentum quatuor chordis conſtans; quod figurabat quatuor elementorum concordem diſcordiam, quorum concurſu mixta omnia generantur. Empedoclis ſane ſententiam refert Plutarchus *

Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
Ζεὺς αἰθὴρ, Ἥρη φερέσβιος, ἠδ᾽ Αἰδωνεύς·

*Lib. 6. de Placit. Philoſoph.
* In Vit. Platonis, & Zenonis.
* In Comment. Pythagoreorum carmin. edit. Pariſ. p. m. 216. & 217. necnon 227. & 228.
* De Placit. Philoſ. lib. 1. cap. 3.

Νῆστις

Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον.

Idest: *Radices primum rerum tibi quatuor edam.*
Juppiter æthereus, Juno vitalis, ad hos Dis,
Et Nestis lacrymis humanos quæ rigat alveos.

Jovis enim nomine, addit idem Plutarchus, *ignem intelligit atque ætherem, Junonis vitalis aerem, Plutonis terram, Nestis & humanorum canalium semen, & aquam.* Hujus etiam opinionis fuit Plato, qui rerum elementa quatuor esse asseruit, ignem, aquam, aerem, terramque: ἐξ ὧν αὐτόν τε τὸν κόσμον, καὶ τὰ ἐν αὐτῷ γενέσθαι. *ex quibus mundumque ipsum, & quæ in mundo exstant, omnia esse generata*, ut apud Laertium * legere est. Aristoteli tamen quatuor elementis quintum, nempe Cœlum, addere placuit, quod τὸ πρῶτον τῶν στοιχείων, *elementorum principem* appellat *. Verum de universi orbis compositione illius verba generatim esse intelligenda patet; quem quidem universum orbem ex quinque simplicissimis corporibus, primum ex Cœlo, tum ex quatuor elementis constare neminem latet. Hinc Averroes in Commentariis ad eumdem Philosophum, * quatuor quoque esse elementa indicat, dum in elementis unum esse gravissimum, Terram: unum levissimum, Ignem: ac præterea duo intermedia, unum gravius, Aquam: alterum levius, Aerem, esse docet. A quibus Lucianus etiam minime dissentit, ait enim: * Λέγω δὲ τὴν ἱερὰν τῶν ὅλων φύσιν. ἣ τὰ πρῶτα πηξαμένη στοιχεῖα τοῦ κόσμου, γῆν, ἀέρα, πῦρ, ὕδωρ, τῇ πρὸς ἄλληλα τούτων ἐπικράσει πᾶν ἐζωογόνησεν ἔμψυχον. *Dico autem sacram illam universorum naturam, quæ primis illis inter se conglutinatis elementis mundi, terra videlicet, aere, igne, & aqua, mutua illorum & temperata commixtione omne procreavit animatum.*

* De vit. Philosoph. Libr. 3., qui inscribitur Plato.
* Libr. 3. de Cœlo.
* Libr. 4. de Cœlo.
* In amoribus, edit. Basil. tom. 4. pag. m. 195.

Prodicus insuper Cous, atque Empedocles Agrigentinus, quos Simplicius, Cicero, aliique referunt, elementa Deos esse censuerunt. „*Empedocles autem multa alia peccans*, inquit Cicero, * *in Deorum opinione turpissime labitur. Quatuor enim naturas, ex quibus omnia constare vult, divinas esse censet; quas & nasci & extingui perspicuum est, & sensu omni carere.* Persæ quidem præter Cœlum, Solem, Lunam, & Venerem, coluere καὶ πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ, *& ignem, & terram, & ventus, & aquam*, ut docet Herodotus. * De iisdem quoque Persis hæc Firmicus scriptum reliquit: * *Persæ, & Magi omnes, qui Persiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi.* Græci porro, ac Romani ignem sub Vestæ virginis nomine venerati sunt: quam quidem Vestam Cereris, Junonisque sororem, atque alterius Vestæ, quæ Rhea quoque dicta est, filiam esse commenti sunt. Ovidius: *

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam.

Cicero * etiam idem testatur: *Vestæ*, inquit, *nomen* sumtum est *a Græcis, ea est enim, quæ ab illis* ἑστία *dicitur, visque ejus ad aras & focos pertinet.* Vulcani insuper nomine elementarius ignis, Jovis vero appellatione æthereus ignis apud veteres intelligebatur. Hinc S. Augustinus * ideo Venerem Vulcano a veteribus in matrimonium datam fuisse scribit; *Quia ex calore voluptas necessario nascitur.*

* Lib. 1. de Natura Deorum.
*Libr. 1. Histor., qui inscribitur Clio cap. 13.
* De errore prof. Relig. edit. Lugdun. Batav. pag. mihi 10.
Libr. 6. Fast. vers. 291.
* Lib. 2. de Nat. Deor.
* Lib. 20. cap. 9. in Faustum.

Aeri quoque divinum honorem veteres exhibuerunt, Assyrii nempe & Arabes, ut testatur Herodotus; * qui auctor est, Aerem vocatum iis Ἀφροδίτην οὐρανίαν, *Venerem Cœlestem*. De iisdem quoque Assyriis hæc refert Firmicus *: *Assyrii, & pars Afrorum aerem ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginata figuratione venerantur. Nam hunc eumdem nomine Junonis, vel Veneris virginis, si tamen Veneri placuit aliquando virginitas, consecrarunt.* Ægyptii quidem per Aera Minervam intellexerunt, teste Eusebio: * τὸν δὲ Ἀέρα προσαγορεῦσαι φασιν Ἀθηνᾶν: *Quod Aerem spectat, illum ab eisdem, ut nominis interpretatione declarata, Minervam appellatum.* Græcis porro ac Romanis aer consideratus ratione potentiæ activæ, Jupiter: ratione passivæ, Juno dictus est; quod tum ex Ennio licet intelligere, quum hæc apud Varronem * scriptum reliquit:

Istic est is Juppiter, quem dico, quem Græci vocant
Aera, qui ventus est, & nubes, imber postea,
Atque ex imbre frigus, ventus post fit, aer denuo.

Tum etiam ex Cicerone: * *Aer*, inquit, *ut Stoici disputant, interjectus inter mare & cœ-*

* Libr. 1. Histor. Cap. 105.
*De errore prof. Relig. edit. Lugdun. Batav. pag. mihi 9.
* Libr. 3. de præpar. Evang. cap. 2.
* Libr. 4. de LL. edit. Amstel. 1623 p. m. 15.
* Lib. 2. de Nat. Deor.

& cœlum Junonis nomine consecratur, quæ est soror & conjux Jovis; quod & similitudo est ætheris, & cum eo summa conjunctio. Idem Cicero, * Anaximenis opinionem referens, qui aerem Deum statuit, illam tamen respuit. *Anaximenes*, inquit, *aera Deum statuit, eumque gigni, esseque immensum, & infinitum, & semper in motu: quasi aut aer sine ulla forma Deus esse posit; quum præsertim Deum non modo aliqua, sed pulcherrima specie debeat esse; aut non omne, quod ortum sit, mortalitas consequatur.* Paullo vero post Diogenis sententiam refellens, qui ejusdem Anaximenis auditor fuit; *Quid aer*, inquit, * *quo Diogenes Apolloniates utitur Deo? quem sensum habere potest, aut quam formam Dei?* Sanctus quoque Augustinus * de eodem Diogene, ejusque explodenda sententia, verbum facit: *Diogenes quoque*, inquit, *Anaximenis alter auditor, aerem quidem dixit rerum esse materiem, de qua omnia fierent; sed eum esse compotem divinæ rationis, sine qua nihil ex eo fieri posset.* Idem denique Diogenes, Aerem elementum esse, quo condensato vel rarefacto, mundi infiniti fiant: vacuum esse infinitum: ex nihilo nihil fieri, nihil in nihilum resolvi: terram in medio mundi consistere: immobilitatem suam a calore circumfuso; spissitudinem vero, & soliditatem a frigore habere, asseruit, ut narrat Laertius *.

Aqua pariter Deorum numero a veteribus addita est. Hinc apud Ægyptios præcipua in veneratione Nilum fuisse narrat Plutarchus * Οὐδὲν οὕτω τιμὴ Αἰγυπτίοις, ὡς ὁ Νεῖλος: *Nihil in majore Ægyptiis honore atque Nilus.*

Græci vero in primis, Romanique huic elemento variis sub nominibus divinos honores exhibuere. Imo Aqua Homero non solum pro Numine, sed etiam pro Numine primo atque antiquissimo fuit; ut hoc versu ostenditur: *

Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.

Oceanumque Deum patrem, ac Tethyn genitricem.

Fuere autem apud illos Numina aquarum, partim mascula, quorum princeps Oceanus, & Neptunus: partim muliebria, in quibus familiam ducebant Tethys, & Amphitrite; præter quæ Numina marina, habebant alia; fluvios namque fontesque, ut stagna & puteos quoque, pro Diis cultos Deabusque fuisse accepimus; hisque omnibus suas fuisse Nymphas legimus. Neque vero apud Scythas, Celtasque Aquæ veneratio defuit, ut Herodotus * testatur. Profecto a superis tanta in veneratione Stygia palus habita est, ut nefas ducerent, quicquam eorum, quæ Styge teste jurassent, quovis modo violare. Hinc Apulejus; * *Diis etiam*, inquit, *ipsique Jovi formidabiles aquas istas Stygias, vel fando comperisti? quodque vos dejeratis per Numina Deorum, Deos per Stygis majestatem solere.*

Terram denique primas inter elementa apud Phryges obtinuisse docet Firmicus: * Eamque Cybelem appellarunt a Cybelo Phrygiæ monte, ubi ejus sacra primo creduntur instituta. Hesychius: * Κύβελα, ὄρη Φρυγίας. Κυβέλη, ἡ μήτηρ τῶν Θεῶν. *Cybelus Mons Phrygiæ; Cybele mater Deorum.*

Quod quidem elementum variis sub nominibus summa veteres Religione coluerunt. Isis pro Dea ab Ægyptiis solemnibus festis culta est: *Isis autem lingua Ægyptiorum*, inquit Servius, * *est terra, quam Isim volunt esse.* Ea Græcis est Rhea, quam præcipuo honore prosequuti sunt, uti testatur Ausonius: *

. . . . *Prima Deum fas,*

Quæ Themis est Graiis: post hanc Rhea, quæ Latiis Ops.

Necnon Servius *: *Nam Ops*, inquit, *uxor est Saturni, quam Græci Rheam vocant.* Eamdem Romani Junonis, Vestæ, Venerisque nominibus consecrarunt. Hinc Sanctus Augustinus *: *Quid indignum dicitur*, inquit, *quum Juppiter, & Juno nati dicuntur ex tempore; si Cœlum est ille, & illa Terra; quum facta sint utique Cœlum, & Terra?* Varro quoque, Eusebius, & Plutarchus idem scriptum reliquerunt. Arnobius * pariter illam Vestam esse pronunciavit: *Terram*, inquit ille, *nonnulli Vestam pronunciant, quod in mundo stet sola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetua constitutis:* Macrobius * insuper terræ superius hemisphærium, Veneris appellatione donavit; inferius vero hemisphærium terræ, Proserpinam vocavit; quam unam eamdemque cum terra esse docet Tzetzes: sic enim scribit * Περσεφόνη δὲ καὶ Ἶσις, ἡ Γῆ, καὶ Ῥέα, καὶ Ἑστία, καὶ Πανδώρα, καὶ ἕτερα μυρία ὀνομάζεται. *Proser-*

* Ibid. lib. 1.
* Ibidem.
* Lib. 8. de Civit. Dei.
* In Diogenis vita Lib. 9.
* De Isid. & Osirid. edit. Lutet. Paris. 1624. T. 1. p. m. 353.
* Iliad. ξ. vers. 201.
* In Melpom. lib. 4.
* Lib. 6. Metamorph. Edit. Plant. p. mihi 180.
* De errore prof. relig. edit. Lugd. Bat. pag. mihi 7.
* In Lex. in voce Κυβέλη.
* Ad lib. 8. Æneid. versu 696.
* In Monosyl. Edyl. 12. de Deis.
* Ad lib. 11. Æneid. vers. 532.
* Lib. 4. cap. 10. de Civit. Dei.
* Adversus gentes lib. 3. edit. Paris. pag. mihi 150.
* Lib. 1. Saturnal. cap. 21.
* In Comment. Lycophr. ad vers. 705. Alexan.

ſerpina autem & Iſis, Terra, & Rhea, & Veſta, & ſexcentis aliis nominibus appellatur.

Licet autem tanto in honore apud veteres fuerint elementa; mirum tamen nemini eſſe debet, ſi illa ſuper hujuſmodi Ædium veſtibulo diſpoſita conſpiciuntur; eiſdemque veluti ſint ornamento. De Sole enim, cui templum hoc dicatum ſignificavimus, *vitam omnia mutuantur*, ut inquit Macrobius. * Sol quoque *Cor cœli, mens mundi, ſeu temperatio* ab eodem Macrobio dictus eſt *; nempe Deus ipſe, juxta Platonicorum ſententiam. *Solem* inſuper *mundi eſſe caput, & rerum ſatorem*, innuit laudatus Macrobius. * Ariſtoteles præterea *accedente Sole generationem, & recedente corruptionem fieri* docet *. Quare, quum Sol univerſum hunc terrarum orbem moderetur; ac terrenæ fœcunditatis auctor ſit, quatuor profecto elementa, ut eidem pareant, ejuſque fœcunda excipiant defluvia, præſto eſſe debent. Materia namque, juxta laudatum Ariſtotelem *, formam expetit; *perinde ac ſi fœmina marem, ac turpe pulchrum appeteret*. Hinc eſt, quod Plato apud Laertium *, δύο δὲ τῶν πάντων ἀπέφηνεν ἀρχάς, θεὸν καὶ ὕλην, ὃν καὶ νοῦν προσαγορεύει καὶ αἴτιον· εἶναι δὲ τὴν ὕλην ἀσχημάτιστον καὶ ἄπειρον, ἐξ ἧς γίνεσθαι τὰ συγκρίματα. *Rerum omnium duo initia, materiam Deumque conſtituebat: quem quidem & mentem & cauſam appellat: materiam autem figurarum expertem eſſe, atque infinitam, e qua gigni omne, quod concretum eſt.*

* *Lib. 1. in ſomnium Scip. cap. 6.*
* *Ibid. cap. 20.*
* *Lib. 1. Saturnal. cap. 19.*
* *Lib. 2. de gener. & corrupt. cap. 10. edit. Pariſ. tom. 1.*
* *Lib. 1. de Natural. princ. cap. 10. to. 1.*
* *Lib 3. qui inſcribitur Plato.*

Rotundum præterea hujuſmodi templum, Solis curſum, motu orbico circumactum; ſicuti quatuor & viginti ejuſdem feneſtræ, quarum duodecim in ſemicirculo cuique licet enumerare, totidem diei horas nobis indicare videntur. Neque fortaſſe aberraverim, ſi templum hoc Pythiæ ædes eſſe affirmarem, in quibus illa, reſponſa conſulentibus dare conſuevit: quoſdam enim videre eſt, qui illius oracula ſcitatum petunt. Ejuſdem quidem templi oſtium, licet ad illud quinque gradibus conſcendatur, (*n.* 12.) cujuſdam ſpecus ingreſſio videtur; neque illi abſimile, quod Strabo nobis deſcribit: ſic enim inquit *: Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐρύστομον: *Oraculum ipſum ajunt eſſe cavam profunde ſpecum, aditu non admodum lato*. *Ex ea* inſuper *ſpiritum efferri furoris divini efficacem*, idem Strabo ſcribit *; *ſupra orificium vero tripodem ſitum ſublimem, quo conſcenſo Pythia ubi ſpiritum exceperit, carmine ſolutaque oratione ſortes ab ea pronunciari: porro poetas eſſe quoſdam fani adminiſtros, qui proſa oratione edita in verſus numeroſque redigant*: Hinc illud Ciceronis * jocoſe dictum.

Pyrrhi temporibus jam Apollo facere verſus deſierat.

Quin etiam (idem templum) *in medio totius terrarum orbis jacere quidam ſenſerunt*, ut laudatus auctor narrat * *terræque umbilicum dixerunt: fabulam inſuper commenti, quæ apud Pindarum * quoque refertur, ibi locorum conveniſſe duas aquilas* (alii corvos ajunt, alii cycnos) *a Jove emiſſas, alteram ab ortu, ab occaſu alteram Solis. Monſtratur etiam umbilicus quidam in eo templo faſciis velatus, inque eo duæ imagines iſtius fabulæ.* Videndus quoque hac de re Plutarchus *. Ad quod faciunt verſus illi ex vetere quodam Poeta, quos Varro *, & Cicero * afferunt.

O Sancte Apollo, qui umbilicum certum terrarum obſides,
Vnde ſuperſtitioſa primum ſæva evaſit vox fera.

* *Rer. Geogr. lib. 9. edit. Amſtel. ann. 1707. pag. 641.*
* *Ibidem.*
* *Lib. 2. de Divinat.*
* *Id. Strabo loc. cit. p. 643.*
* *Vid. Pythionic. Od. IV. & VI.*
* *Initio Lib. de Orac. defectu.*
* *Lib. 6. de LL.*
* *Lib. 2. de Divinat.*

Tanta autem auctoritate apud veteres hujuſmodi oraculum valuit; ut *Lycurgus*, ſcribit Cicero, * *qui Lacedæmoniorum Rempublicam temperavit, leges ſuas auctoritate Apollinis Delphici confirmaverit: quas quum vellet Lyſander commutare, eadem eſt prohibitus religione.*

* *Lib. 1. de Divinat.*

Prætereundum porro non eſt, quod dictum illud cujuſdam ex ſeptem Græciæ ſapientibus, Γνῶθι σεαυτόν, nempe *Noſce teipſum*, eodem in templo in pila lapidea inciſum extitiſſe fertur; digna profecto Philoſopho ſententia, ac ſolidum ſapientiæ fundamentum! Auſonius: *

Delphis Solonem ſcripſiſſe fama eſt Atticum,
Γνῶθι σεαυτόν, *quod Latinum eſt*, Noſce te.
Multi hoc Laconis eſſe Chilonis putant.

* *In Ludo Septem Sapientum.*

Velum inſuper extenſum, (*n.* 13.) quod aream e regione alterius templi (*n.* 14.) tegit, contra æſtum, cœlive injuriam excitatum eſſe affirmare auſim, de

** Lib. 5. de re rust. cap. 15.*

** In Apologet.*

de more veterum, quem refert Varro *: *Prope aream*, inquit ille, *faciunt umbraculum, quo secedant homines in æstu, tempore meridiano*. Aut certe hujus auctor Tabulæ illud nobis indicare voluit, quod Philosophia, aliæque disciplinæ sub religionis umbraculo sese detinere debeant, uti docet Tertullianus *: *Quasi*, inquit, *sub umbraculo insignissimæ religionis, certe licitæ, aliquid propriæ præsumtionis abscondat*.

Ex hujusmodi denique Tabula, veteres, sicuti in delineando plurimum excelluerunt, ita optices aliquantulum ignaros extitisse cuique licet intelligere.

TABULA XI.

Tabula in Exquiliis pariter reperta, quæ Eleusinia majora exhibet.

** Lib. de Nat. Deor. cap. 28. cui titulus de Cerere, & Vesta.*

** In Atticis cap. 39. & Corinthiaca cap. 14.*

** Bibliothec. sive de Diis lib. 2. edit. Salmurii 1661. p. m. 130.*

** Æneid. 6. ver. 258.*

Eleusinia ac Thesmophoria, præcipua Cereris, & Proserpinæ solemnia fuisse perhibentur; quorum postrema, nempe Thesmophoria, Theogamia quoque & Antesphoria appellata fuisse scriptum reliquit Plutarchus: atque Veris ineuntis tempore celebrari consuevisse, docet Cornutus *. Eleusinia autem alia erant Magna, quæ quinto quoque anno exhibebantur, & quorum mysteriis Athenienses dumtaxat initiari poterant, quemadmodum Eumolpi legibus sancitum fuerat; de quo Pausanias * mentionem facit. Alia Parva, quæ quotannis, interdum etiam in tertium quemque annum, agitabantur. Hæc autem altera hujusmodi ob causam instituta referuntur. Quum Hercules initiari vellet, atque, uti significavimus, lege cautum esset, ne peregrinus quis initiaretur, Athenienses ejus virtutem reveriti, Parva mysteria erexerunt, quibus ipsum initiarunt; ut & Herculi satisfacerent, & auctoritatem tamen sacrificii, ac legis vigorem conservarent; uti narrat Apollodorus *. In his porro sacris adeo religiose arcani fides observata est, ut eorum cæremoniæ ac ritus Sacerdotibus tantum, qui Epoptæ dicebantur, paterent; ac licet, dum hujusmodi sacra celebrarentur, puellæ quædam Deabus dicatæ, quæ opus erant, deferre consueverint; eo tamen studio omnia quibusdam in cistellis occultabantur, ut introspici non posset; quin percontari quicquam, aut ea investigare nefas esse videbatur. Hinc erat, quod Sacerdotibus hujusmodi mysteria celebraturis, præco jubebat profanos absistere, proclamans: ἑκὰς ἑκὰς ὅσις ἀλιτρός: *Procul procul quisque impurus*: ad quem morem respexit Vergilius, * quum ait:

Procul o procul este profani.

** In Atticis cap. 38. in fin.*

** Lib. 1. in Somn. Scip. cap. 2.*

** In Orat. 39. edit Colon. p. m. 625.*

Quare, quum arcanus homo significari vellet, qui quæ audit, tacet, & continet optime, hujusmodi dictum Ἀττικοὶ τὰ Ἐλευσίνια, *Athenienses Eleusinia* in proverbium abierat. Pausanias sane non uno in loco de mysteriis agens, somnio se monitum ait, ne secreta proderet. Verba ejus sunt hujusmodi *: Τὰ δὲ ἐντὸς τοῦ τείχους τοῦ ἱεροῦ, τότε ὄνειρον ἀπεῖπε γράφειν, καὶ τοῖς οὐ τελεσθεῖσιν ὅπως ὧν θέας εἴργονται, δῆλα δή που μηδὲ πυθέσθαι μετεῖναι σφίσιν: *Atque intra sacrum parietem servantur, scribere somnio prohibemur; iis enim, qui initiati non fuerunt, non tantum eorum aspectu interdictum est, verum etiam ne percontari quidem, aut audire fas quicquam est*. Pausaniæ somnio respondet somnium Numenii Philosophi, qui Pyrrhonis Heliensis discipulus fuit, de quo Macrobius: * *Numenio*, inquit ille, *inter Philosophos occultorum curiosiori, offensam Numinum, quod Eleusina sacra interpetrando vulgaverit, somnia prodiderunt: viso sibi, ipsas Eleusinas Deas habitu meretricio ante apertum lupanar videre prostantes: admirantique, & causas non convenientis numinibus turpitudinis consulenti, respondisse iratas: ab se adyto pudicitiæ suæ vi abstractas, & passim adeuntibus prostitutas*. Illa denique adeo turpia, & lutulenta fuisse narrantur, ut S. Gregorium Nazianzenum de iis verbum facere pudeat, sic enim ait: * Αἰσχυνόμαι γὰρ ἡμέρᾳ δοῦναι τὴν νυκτὸς τελετὴν, καὶ ποιεῖν τὴν ἀσχημοσύνην μυστήριον· οἶδεν Ἐλευσὶς ταῦτα, καὶ οἱ τῶν σιωπωμένων, καὶ σιωπῆς ὄντως ἀξίων ἐπόπται. *Pudet enim me nocturnnm sacrum in lucem proferre, ac turpitudinem mysterium facere. Novit hæc Eleusis, atque illi tacitorum, ac profecto silentio dignorum sacrorum spectatores.*

Johannis Baptistæ Marinelli, qui in veterum monumentis internoscendis plurimum studii atque operæ summa cum laude posuit, ea fuit opinio, ut hisce Tabulis, hac nempe, & proxima, Cereris, seu Proserpinæ Eleusinia mysteria no-

nobis exhiberi crederet; quas quidem Tabulas in Exquiliis pariter repertas, quodam in hortulo ſeptem Aulis finitimo, præterita ætas in lucem protulit. Ipſe tanti viri judicium ſequi præcipuæ mihi gloriæ duco.

Cererem profecto frumenta inveniſſe, quum antea homines glande veſcerentur, atque ob id Deam fuiſſe judicatam, Plinius tradit. * Eleuſinii itaque tanti beneficii memores, hæc ſacra in ejuſdem honorem inſtituerunt. Lucretius tamen eorumdem auctores Athenienſes fuiſſe ſcribit, dum ait: *

Primæ frugiferos fœtus mortalibus ægris
Diderunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreaverunt vitam, legeſque rogarunt:

Verum cum Athenienſes Legum latores principes fuiſſe docet, eoſdem Theſmophoria ſacra inſtituiſſe videtur innuere: Θεσμοφόρια enim *a Legum latione* dicta fuere; Hinc Θεσμοφόρος, nempe *Legifera*, Ceres quoque appellata eſt; Ovidius *:

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Ægyptii vero Iſin ſuam triticum & hordeum primam inveniſſe ſibi perſuaſerant. Hinc Diodorus * Iſidem Cererem eſſe interpretatur. Herodotus inſuper: *Iſis*, inquit, * *eſt ea, quæ Græca lingua dicitur* Δημήτηρ, *Ceres*. Quocirca Sacra Cereris Eleuſinæ non eſſe diſſimilia Iſidos accepimus. Jam vero ipſum Deæ ſimulacrum hac in Tabula omnium primum nobis ſeſe offert conſpiciendum, *n.* I. quæ ſane Dea velato capite, cæterarum more Dearum, frondeo redimita ſerto, & quarumdam manipulum herbarum manu gerens, inter omnes media ſedet: quæ quidem herbæ Verno tempore eidem in ſacrificium offerri conſueverunt, uti docet Cornutus. * Περὶ δὲ τὸ ἔαρ, inquit, Δήμητρι χλόην θύουσι, μετὰ παιδιᾶς καὶ χαρᾶς· ἰδόντες χλοάζοντα, καὶ ἀφθονίας αὐτοῖς ἐλπίδα ἐπιδεικνύντα; *At Verno tempore Cereri virentem herbam cum luſu & gaudio ſacrificant; videntes illam vigorem emittere ſegeti, ac abundantiæ ſpem protendere*. Hinc etiam apud Romanorum veteres ſacra ei Vere novo fieri ſolita literis proditum eſt: atque A. d. V. Idus Aprilis Cereales ludi in ejuſdem honorem exhibebantur; qui Circenſes etiam dicuntur, eo quod Cereales ludi in Circo quoque haberentur. Eadem inſuper Dea flava induitur ſtola, ſcilicet, ut flavum ariſtarum colorem nobis repræſentaret; quare illam ſæpe apud Poetas *flavam* appellatam legere eſt: Ovidius *,

Flava Ceres tenues ſpicis redimita capillos.

Proxime vero ſtantem conſpicimus adoleſcentulam, *n.* 2., quæ pariter frondibus redimita, cœrulea palla, ac puniceo induitur amictu, dextraque Lancem geſtat, novarum frugum primitiis fortaſſe repletam, quas veteres numinibus offerre conſueverunt; orantis autem ſpeciem habet, ut Dea munus oblatum benigne, & non gravate accipiat. Aliger præterea Genius *num.* 3. viridi indutus talari tunica, dextera virgulam gerit, lævamque colloquenti ſimilis attollit. Color ſane viridis Veris tempus indicat, quod fortaſſe hujuſmodi imago nobis exhibet, ſicuti & quæ proxima cernitur viridis faſcia; neque abs re, hujuſmodi namque Eleuſinia ſacra Veris tempore peragi in more poſitum fuit. Fortaſſe quoque hujuſmodi ſimulacro Iridem exhiberi, quam aligeram eſſe decet, eique proximam arcuati Circuli partem, Cœleſti arcui haud abſimilem eſſe, facile mihi perſuaderem; dummodo illius color ab eis, quos nobis depingunt Poetæ, adeo non diſcreparet; eoque magis hoc mihi in animum inducerem, quod adventante Veris tempore Iridem ferme in nubibus expreſſam conſpicimus. Hujuſmodi quidem cœleſtis arcus a Tibullo * *Imbrifer* dictus eſt; quumque ejus humiditate ſegetes uberius ſuccreſcant, a Cereris myſteriis minime abhorret. Iride inſuper Thaumantis, nempe *admirationis*, ex Electra filiam eſſe veteres commenti ſunt; cujus rei rationem affert Cicero: * *Cur autem*, inquit, *arcus ſpecies non in Deorum numero reponatur? Eſt enim pulcher, & ob eam cauſam, quia ſpeciem habet admirabilem, Thaumante dicitur eſſe nata*. Nempe a Græco verbo θαυμάζειν, *admirari*, hinc *Thaumantias* ab Ovidio appellatur: *

Roratis luſtravit aquis Thaumantias Iris.

* *Lib.* 7. *Natur. Hiſt. cap.* 56. *ſect.* 57.
* *Lib.* 6. *initio.*
* *Lib.* 5. *Metamor. v.* 341.
* *Lib.* I. *cap.* 2. *edit. Baſil. pag. m.* 8.
* *Hiſtor. lib.* 2. *qui inſcribitur Euterpe, cap.* 59.
* *Lib. de Nat. Deor. cap.* 28. *cui tit. de Cerere, & Veſta.*
* *Lib.* 3. *Amor. eleg.* 10. *ver.* 3.
* *Lib.* I. *Eleg.* 4. *ver.* 44.
* *Lib.* 3. *de Nat. Deor.*
* *Lib.* 4. *Metamor. v.* 479.

* Lib. 4. Æneid. ver. 700. Vergilius ſexcentis illam exornatam coloribus nobis depingit *:

Ergo Iris croceis *per cœlum roſcida pennis ,*
Mille trahens varios adverſo Sole colores ,
Devolat .

In quo quidem Vergilii loco *croceum* inter cæteros colorem Iridi illum conceſſiſſe animadvertendum eſt . Verum omnes , quos innuimus , colores , cum hujuſmodi Iridis imagine minime faciunt , cui viridem dumtaxat tunicam eſſe conſpicimus ; ex quo perſpicuum fit , haud plurimum ſtudii Poetas in Phyſicen adhibuiſſe , longeque illis melius hujus auctorem Tabulæ rerum phyſicarum ſcientiam tenuiſſe patet . Siquidem tres præcipuos in Iride expreſſos colores agnoſcit Ariſtoteles , quibus ipſe & quartum addit ; qui quidem colores a lumine Solis oppoſiti refracto in nube aquoſa , concava , & in pluviam reſolvi parata , oriuntur . Illius autem verba adſcribere operæ pretium ducimus : Τούτων δὲ, *inquit ille* * τρίχρως μὲν ἑκατέρα , καὶ τὰ χρώματα ταυτὰ καὶ ἴσα τὸν ἀριθμὸν ἔχουσιν ἀλλήλαις · ἀμυδρότερα δ' ἐν τῇ ἐκτὸς , καὶ ἐξ ἐναντίας κείμενα κατὰ τὴν θέσιν . ἡ μὲν γὰρ ἐντὸς , τὴν πρώτην ἔχει περιφέρειαν τὴν μεγίστην , φοινικίαν · ἡ δ' ἔξωθεν , τὴν ἐλαχίστην μὲν , ἐγγύτατα δὲ πρὸς ταύτην , καὶ τὰς ἄλλας ἀνάλογον ἔστι δὲ τὰ χρώματα ταῦτα ἅπερ μόνα σχεδὸν οὐ δύνανται ποιεῖν οἱ γραφεῖς · ἔνια γὰρ αὐτοὶ κεραννύουσι · τὸ δὲ φοινικοῦν , καὶ πράσινον , καὶ ἁλουργὸν , οὐ γίνεται κεραννύμενον · ἡ δὲ ἶρις ταῦτ' ἔχει τὰ χρώματα · τὸ δὲ μεταξὺ τοῦ φοινικοῦ καὶ πρασίνου, φαίνεται πολλάκις ξανθόν . * *Horum autem quamvis uterque tricolor ſit ,* (ſcilicet arcus) *atque eoſdem parique numero , ac reliquus , colores habeat , tamen qui in exteriore ſunt , obſcuriores habentur , atque ordine contrario poſiti . Nam interior primam, quæ maxima eſt , circumferentiam ,* puniceam *geſtat : exterior ultimam , quæ minima eſt , ſed illi proxima , atque reliquas proportionabiliter . Cæterum colores hi ſunt , quos fere ſolos facere pictores nequeunt . Hi enim quoſdam aliorum miſtura faciunt ; at* puniceus , viridis & purpureus , *nequaquam hoc pacto fiunt ; hos autem colores arcus habet . Qui autem* puniceum & viridem interjacet , *is plerunque* flavus *apparet .* Et paulo poſt hoc pacto diſſerit : * Δῆλον τοίνυν ὅτι ἡ ὄψις , ὥσπερ καὶ τὸ μέλαν, κλωμένη διὰ ἀσθένειαν, μελάντερον ποιεῖ φαίνεσθαι , καὶ τὸ λευκὸν ἧττον λευκὸν , καὶ προσάγει πρὸς τὸ μέλαν · ἡ μὲν οὖν ἰσχυροτέρα ὄψις , εἰς φοινικοῦν χρῶμα μετέβαλεν · ἡ δ' ἐχομένη , εἰς τὸ πράσινον . ἡ δ' ἔτι ἀσθενεστέρα εἰς τὸ ἁλουργὸν · ἐπὶ δὲ τὸ πλεῖον οὐκ ἔτι φαίνεται , ἀλλ' ἐν τοῖς τρισὶν , ὥσπερ καὶ τῶν ἄλλων τὰ πλεῖστα , καὶ τούτων ἔσχε τέλος . τῶν δὲ ἄλλων ἀναίσθητος ἡ μεταβολή · διὸ καὶ ἡ ἶρις τρίχρων φαίνεται , ἑκατέρα μὲν , ἐναντίως δέ . ἡ μὲν οὖν ἡ πρώτη , τὴν ἔξω φοινικῆν ἔχει · ἀπὸ μεγίστης γὰρ περιφερείας πλείστη προσπίπτει ἡ ὄψις πρὸς τὸν ἥλιον · μεγίστη δ' , ἡ ἔξω , ἡ δ' ἐχομένη , καὶ ἡ τρίτη , ἀνάλογον ὡς . εἰ τὰ περὶ τῶν χρωμάτων τῆς φαντασίας εἴρηται καλῶς , ἀνάγκη τρίχρων τε εἶναι αὐτὴν , καὶ τούτοις τοῖς χρώμασι κεχρῶσθαι μόνοις . τὸ δὲ ξανθὸν φαίνεται , διὰ τὸ παρ' ἄλληλα φαίνεσθαι . τὸ φοινικοῦν γὰρ παρὰ τὸ πράσινον , λευκὸν φαίνεται · σημεῖον δὲ τούτου . ἐν γὰρ τῷ μελαντάτῳ νέφει μάλιστα ἄκρατος γίνεται ἡ ἶρις . συμβαίνει δὲ τότε ξανθότερον εἶναι δοκεῖν τὸ φοινικοῦν . ἔστι δὲ τὸ ξανθὸν ἐν τῇ ἴριδι χρῶμα μεταξὺ τοῦ τε φοινικοῦ καὶ πρασίνου χρώματος . διὰ τὴν μελανίαν οὖν τοῦ κύκλῳ νέφους , ὅλον αὐτοῦ φαίνεται τὸ φοινικοῦν , λευκόν : ἔστι γὰρ πρὸς ἐκεῖνα λευκόν . καὶ πάλιν ἀπομαραινομένης τῆς ἴριδος ἐγγυτάτω , ὅταν λύηται τὸ φοινικοῦν · ἡ γὰρ νεφέλη λευκὴ οὖσα , προσπίπτουσα παρὰ τὸ πράσινον μεταπίπτει εἰς τὸ ξανθόν . * *Patet igitur , quod conſpectus fractus , ut præ imbecillitate , quod nigrum eſt , magis nigrum , ita quod album eſt , minus album apparere facit , atque ad nigrorem adducit . Validior igitur aſpectus , colorem album* in puniceum , *proximus ab illo* in viridem , *qui præterea imbecillior eſt ,* in purpureum *mutare aſſolet . Ultra hos autem colores nullus præterea apparet ; ſed plurima quoque alia , ita & hi ternario definiti ſunt . Aliorum autem colorum mutatio inſenſibilis eſt . Quocirca &* arcus tricolor , *uterque quidem , ſed oppoſito modo apparet . Primus igitur extimam ſupremamque circumferentiam* puniceam *habet ; nam aſpectus a maxima circumferentia Soli plurimus incurrit : extima autem , maxima eſt . Proxima vero & tertia , juxta proportionem ſeſe habent . Quare ſi quæ de colorum apparitione diſſeruimus , probe dicta ſunt ,* Irin & tricolorem *eſſe , & hiſce ſolis coloribus tingi neceſſe eſt .* Flavus *autem color iccirco apparet , quia juxta poſiti colores ſpectantur . Nam color* puniceus *juxta* viridem *albus apparet . Cujus rei ſignum eſt : Nam in nube nigerrima Iris maxime pura ſinceraque fieri ſolet : tunc enim accidit , ut color* puniceus flavior *eſſe videatur.*

Fla-

* Meteorologic. lib. 3. cap. 2.

* Franciſco Vatablo interprete.

* Ibidem cap. 4.

* Eodem interprete .

Flavum autem illud, quod in arcu apparet, color est inter puniceum & viridem medius. *Igitur ob nubis circumstantis nigrorem, quicquid ejus* puniceum *est, album apparet: nam puniceum ad illa, album est. Et rursum emarcescente proxime terram Iride, quum dissolvitur* puniceum, *nebula alba* juxta viridem *sese applicans,* in flavum *transire solet*. Viridis itaque color, quem hujusce tabulæ imago, eique proximus cœlestis arcus, præferunt, inter cæteros Iridis colores recensetur. Virgam præterea Iris manu gestat, sui muneris insigne, illam enim Junonis nunciam, sicuti Mercurium Jovis, Poetæ finxerunt; cui pariter virgam quamdam, caduceum dictam, fuisse fertur. Hujusmodi autem cœlestis Arcus (cujus eximiam pulchritudinem nobis ob oculos ponit liber Ecclesiastici, * *Vide Arcum,* inquit, *& benedic eum, qui fecit illum: valde speciosus est in splendore suo. Gyravit Cœlum in circuitu gloriæ suæ, manus excelsi aperuerunt eum.*) aliud olim Judæis fuit, de quo Deus ipse hæc protulit: * *Arcum meum,* inquit, *ponam in nubibus, & erit signum fœderis inter me, & inter terram. Quumque obduxero nubibus Cœlum, apparebit arcus meus in nubibus, & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat: & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendum universam terram*. Mulier denique, (*n.* 4.) quam tunica punicei coloris tegit, agreste baculum dextera tenet, gestatque capiti impositum, herbis frondibusque repletum calathum, quem de more Cereri offerat.

Præterea gravem senem, (*n.* 5.) globo quodam insidentem, nunc præstat intueri: huic frondeum sertum capitis verticem præcingit; & cœruleus amictus utraque brachia, caputque fronte tenus obnubit. Dextera insuper virgam ipse gerit; ex qua fasciola quædam dependet, tunicæ fortasse reliquiæ cujusdam ex initiatis, quibus in more positum fuit, ut vestem, in qua fuerant initiati, Cereri, & Proserpinæ consecrarent; qua de re proxima in Tabula verba facturi sumus. Læva puellulam quamdam (*n.* 6.) sinu fovet; quam ut excipiat, utrasque manus mulier quædam (*n.* 7.) admovet: quæ sane æque ac reliquæ frondibus redimita, cœrulea induitur tunica, & puniceo amictu, quo dorsum ac utrumque latus cingitur. Laudatum quidem senem Deæ sacerdotem esse, in puellula vero Proserpinam nobis exhiberi, haud absurdum esset affirmare: *Mysteria enim Cereris aliud nihil erant, quam incestuosi Jovis cum Cerere matre congressus,* (uti docet Clemens Alexandrinus, quem refert Eusebius: *) ex quibus in lucem prodiit Proserpina, quam Phersephonem quoque appellatam esse ab Hesychio didicimus; dum ait *: Φερσεφόνεια, ἡ τῆς Δήμητρος θυγάτηρ, ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος, τουτέστι τὸν πλοῦτον, διὰ τὸν καρπὸν, ἀπὸ τοῦ φέρειν ὄνησιν: *Phersephonia,* (scilicet Proserpina) *Cereris filia, quæ annuos reditus affert, hoc est divitias propter fructum, a* verbo φερεῖν, *ferre, &* ὄνησιν, *utilitatem*. Ex Cerere autem illam progenitam esse dixerunt, ex terra scilicet, aut frugifera illa virtute, quæ ex Luna in terram illabitur; ex qua, quum illam exceperit, nascuntur fruges, quibus Proserpina significatur. Cererem namque unam eamdemque cum Luna agnovit Apulejus *; Alii vero illam non aliam a terra esse pronuntiarunt, uti docet Arnobius *: quod ille, cui senex insidet, globus fortasse indicat. In puero pariter Bacchum, Jovis & Proserpinæ filium, licet agnoscere, qui Zagreus dictus, a Titanibus dilaceratus est, de quo Nonnus verba facit: * quem inter & alium Bacchum, Semeles filium, nil in Orgiis intererat; atque alius pro alio vicissim sumebatur. Etenim Bacchum hunc alterum, Jovis ex Semele filium, ex corde Zagrei procreatum fuisse; vel hunc eundem Zagreum, postquam a Titanibus fuerit discerptus, in Bacchum transmigrasse, commenti sunt. Hinc in Eleusiniis, licet Cereri sacris, Bacchi quoque mentio fiebat; quum utrisque mysteria communia essent. Strabo sane hæc de Baccho scriptum reliquit: * Ἰακχόντε καὶ τὸν Διόνυσον καλοῦσι, καὶ τὸν ἀρχηγέτην τῶν μυστηρίων, τῆς Δήμητρος δαίμονα: *Et Bacchum Jacchum appellant, ac principem mysteriorum, genium Cereris*. Pausanias quoque quibusdam in locis Cereris & Bacchi simulacra una simul erecta fuisse narrat: * nempe ut principes vini & frugum inventores indicarent; quorum beneficio gens humana a glandium & aquæ usu ad mitiorem frumenti & vini victum traducta est. Hinc Vergilius utrosque invocat: *

Vos

* *Cap.* 43. *vers.* 12. *& seq.*
* *Gen. cap.* 9. *vers.* 13. *ad* 15.
* *Præparat. Evang. lib.* 2. *Edit. Colon. cap.* 3. *pag.* 63.
* *In Lexic. ad vocem*
* *Lib.* 11. *Metamor. initio*.
* *Lib.* 3. *adv. Gent. edit. Paris. pag. m.* 150.
* *Lib.* 6. *Dionys. ver.* 167.
* *Lib.* 10. *edit. Amst. pag. m.* 463
* *In Corinth'aci sive Lib.* 2. *cap* 35. *&* 37.
* *Lib.* 1. *Georg. vers.* 5.

Vos, o clarissima mundi
Lumina, labentem Cœlo quæ ducitis annum,
Liber & Alma Ceres, vestro si munere tellus
Chaoniam pingui glandem mutavit arista:
Poculaque inventis Acheloïa miscuit uvis.

Bacchum insuper Cereris filium, & Proserpinæ germanum fratrem nonnulli crediderunt; quare Liber ille, hæc Libera dicta est: de qua hæc Arnobius refert: * *Parit*, inquit ille, *mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nominavit.* Ac de utrisque Tacitus quoque facit mentionem, dum ait: * *Libero, Liberæque, & Cereri juxta Circum Maximum*. Hinc mirum non est, quod Cereris sacra, Baccho etiam communia fuisse, Ovidius docet: *

Lib. 5. adv. Gent. edit. Parif. pag. mihi 214.
Annal. lib. 2. cap. 49.
Lib. 3. Fastor. vers. 785.

Luce sua ludos uvæ commentor habebat,
Quos cum tædifera nunc habet ipse Dea.

Demum imago, (*n.* 8.) quam in hujus Tabulæ angulo conspicimus, adeo edaci tempore exesa nobis exhibetur, ut, quid indicet discerni, non queat; ex illius tamen veluti corporis motione atque gestu conjecturam capere possumus, id illi esse muneris, ut suetis de more verbis, *procul procul quisque impurus*, populum a mysteriis arceat. Sublimis quoque Senex, (*n.* 9.) corona pariter redimitus, rubram vestem indutus, lævoque brachio elato, carmina, aut certe preces fundenti similis, Deæ laudes canere videtur.

TABULA XII.

Altera Tabula, æque ac proxima in Exquiliis reperta, in qua Eleusinia Parva exhibentur.

IN hac Tabula binæ primum conspiciuntur mulieres, quarum altera (*n.* 1.) croceam pallam, & cœruleum amictum; altera (*n.* 2.) puniceam dumtaxat induit stolam: ambæ tamen frondibus caput præcinctæ, cistellulam quandam (*n.* 3.) croceo colore illitam, manibus sustinent, in qua religionis arcana, & sacrificio necessaria recondita jacent; quæque puniceo velamine tegitur; & frondeo de more redimitur serto; ex quo fasciola quædam dependet, quam ipsarum altera elatam læva detinet. Istiusmodi autem virgines Κανηφόροι, nempe canistrum gerentes, & *Cistophoræ*, seu *Cistiferæ* dictæ fuere; eo quod ipsarum munus esset, canistra, quibus sacra inclusa, in Cereris mysteriis deferre. In hisce porro cistulis quid potissimum asservaretur ex Clemente Alexandrino addiscere libet; hic enim profanæ superstitionis tenebris depulsis, quum ad Christi ovile sese recepisset; ut Populos ab errore, & fallaciis ad veritatis cognitionem traduceret, hujusmodi sacrorum nugas, & deliria enunciandas censuit. Hæc itaque scripta reliquit. * Οἷαι δὲ καὶ αἱ κίσται αἱ μυστικαί; δεῖ γὰρ ἀπογυμνῶσαι τὰ ἅγια αὐτῶν, καὶ τὰ ἄρρητα ἐξειπεῖν· οὐ σησαμαῖ ταῦτα, καὶ πυραμίδες, καὶ τολύπαι, καὶ πόπανα πολυόμφαλα, κονδροῖτε ἁλῶν, καὶ δράκων ὄργιον Διονύσου Βασσάρου; οὐχὶ δὲ ῥοιαὶ, πρὸς τοῖς δὲ καὶ καρδίαι, νάρθηκές τε, καὶ κιττοί; πρὸς δὲ καὶ φθοῖς, καὶ μήκωνες; *Quales autem sunt cistæ eorum mysticæ? oportet enim Sancta eorum revelare, & arcana enunciare. An non ea sunt sesamides, & pyramides, & lana bene laborata, libaque multis distincta umbilicis, salisque pugilli, & draco Orgium Bacchi Bassari? An non mala punica, atque etiam corda, ferulæ, & hederæ, & præterea placenta, et papavera?* Hac de re Theodoretus * quoque verba facit: Ἐν δὲ ταύταις, inquit ille, ταῖς ὁμηγύρεσι, πᾶν εἶδος ἀκολασίας ἀδεῶς ἐτολμᾶτο· καὶ γὰρ αἱ τελεταὶ, καὶ τὰ ὄργια, τὰ τούτων εἶχεν αἰνίγματα· τὸν κτένα μὲν ἡ Ἐλευσὶς, ἡ φαλλαγωγία δὲ φαλλόν. ἀτὰρ δὴ καὶ δίχα τῶν αἰνιγμάτων, τὰ παρὰ τῶν ὀργιαστῶν δρώμενα, εἰς πᾶν εἶδος ἀσελγείας τοὺς ὁρῶντας ἠρέθιζε. *In his autem conventiculis omne flagitiorum genus intrepide patrabatur: Initia enim Cereris, et Liberi Patris Orgia horum scelerum involucra prætendebant: Eleusis quidem pectinem, veretrum autem Phallagogia. Sed et citra ænigmatum involucra, ea, quæ ab Orgia celebrantibus fiebant, ad omne flagitiorum genus spectantes incitabant:* & alibi: * Οὔπω πάλιν τὸν τοῦ Διονύσου φαλλόν· τὸ δὲ ἀνδρεῖον οὕτω καλοῦσι μόριον οἱ τοῦ γέλωτος ποιηταί· καὶ ἐκαλεῖτο δὲ παρὰ τοῖς Ἕλλησι Φαλλαγωγία ἡ τοῦ φαλλοῦ ἑορτή· καὶ προσεκύνουν μὲν τοῦτον, καὶ κατεφίλουν οἱ ὀργιάζοντες ἅπαντες. *Eodem modo Dionysi quoque phallum (sic enim virile membrum*

In Admonit. ad Gent. Edit. Lugd. pag. m. 10.
Sermon. 7. de Sacrificiis, Edit. Lutet. Parif. Tomo 4. p. 583.
Serm. 1. de Fide ibid. p. 482.

brum ridiculi homines nuncuparunt: et Phallagogia *phalli festum apud Græcos dicebatur) et adorabant miseri, et basiabantur cuncti, qui Orgia celebrabant.* Nec prætereundus Athenæus, qui hæc habet: * Ἡρακλείδης Συρακούσιος ἐν τῷ Περὶ θεσμῶν, ἐν Συρακούσαις φησὶ τοῖς παντελείοις τῶν θεσμοφορίων ἐκ σησάμου καὶ μέλιτος κατασκευάζεσθαι ἐφήβαια γυναικεῖα, ἃ καλεῖσθαι κατὰ πᾶσαν Σικελίαν μυλλοὺς, καὶ περιφέρεσθαι ταῖς θεαῖς: *Heraclides Syracusius libro de vetustis et sancitis moribus, scribit, apud Syracusios in perfectis Tesmophoriis, ex sesamo et melle fingi pudenda muliebria, quæ per Ludos et spectacula circumferebantur, et in tota Sicilia vocabantur Mylli.* Siciliam autem Baccho, Cereri, & Proserpinæ sacram fuisse testatur Cicero. * Id porro quum in Parvis mysteriis factitari consueverit, superiori in Tabula Tesmophoria seu Eleusinia Majora, in hac vero Minora fortasse exhibentur.

* *Delpnosoph. lib. 14. cap. 14. Edit. Lugd. p. m. 647 in voce* Mylli.

* *Orat. 6. in Verr.*

In Adolescentulo insuper, (*n.* 4.) quem sub cistula stantem conspicimus, punicea tunica indutum, quam veteres *subuculam* appellarunt; recens mysteriis initiatum agnoscimus. Qui enim initiabantur, vestem novam ac puram induebant, (uti in hoc adolescentulo videre est, qui recenti & nitido tegitur indusio:) quam deinde nunquam exuebant, quoad tandem lacera gestari non amplius posset. Quin etiam à quibusdam ad fascias infantum reservabatur; haud illi absimiles, quam proxima in Tabula ex Sacerdotis virga dependentem innuimus. Formulas autem certis quibusdam verbis conceptas, quibus veteres, quum initiarentur, uti consueverunt, affert Arnobius: * *Ipsa denique symbola,* inquit ille, *quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis: Jejunavi, atque ebibi cyceonem, ex cista sumsi, & in calathum misi, accepi, rursus in cistulam transtuli.* Neque his absimiles apud Clementem Alexandrinum occurrunt: * Τὸ σύνθημα Ἐλευσινίων μυστηρίων, ἐνήστευσα. ἔπιον τὸν κυκεῶνα, ἔλαβον ἐκ κίστης. ἐργασάμενος ἀπεθέμην εἰς κάλαθον, καὶ ἐκ καλάθου εἰς κίστην: *Eleusiniorum mysteriorum signum est; Jejunavi, potum confectum bibi, ex cista accepi, postquam feci, deposui in calathum, & ex calatho in cistam.*

* *L. 5. adv. Gen. edit. Paris. pag. m. 220.*

* *Admonit. ad Gen. Edit. Lug. pag. m. 10.*

Binæ præterea, quæ proxime adstant, coronis pariter redimitæ adolescentulæ; quarum altera (*n.* 5.) crocei coloris tunicam induta, herbarum fasciculum quadam in cistula repositum digito indicat: altera vero, (*n.* 6.) quam viridis tunica pariter tegit, lævo tamen exerto usque ad papillam brachio, arbusculæ cujusdam agrestem baculum dextera attollit; inter initiatas, ac hujusmodi mysteriorum administras recensendæ videntur. Herbarum sane fasciculo Veris; croceo autem colore Æstatis tempora significari palam est. Quod ad agrestem baculum attinet, hæc Eusebius ex Clemente Alexandrino scribit: * Βουκολικὸν, οἶμαι, κέντρον τὸν νάρθηκα ἐπικαλῶν, ὃν δὴ κάλων ἀναστρέφουσιν οἱ Βάκχοι. *Bubulci, opinor, stimulum scuticam nominans, quam lignis quibusdam homines Bacchico furore correpti circumagunt.* Idem quoque baculus, seu virga quorumdam Sacerdotum morem fortasse refert, qui mysteriorum inspectores quibusdam diebus hujusmodi ferulis cædere consueverunt; non aliter ac in Lupercalibus sacris factitatum accepimus; quæ mense Februario, scilicet A. D. xv. Kal. Martias, quotannis fiebant; eorumque Sacerdotes Luperci nudi per urbem cursitabant, prægnantiumque mulierum palmas, uterosque caprina pelle ferientes; qua re & fœcunditatem, & facilem partum fieri putabant. Qua quidem de re verba faciunt Plutarchus; * & Ovidius; dum ait; *

* *Præparat. Evang. lib. 2. cap. 3. Edit. Paris. pag. m. 64.*

Nupta quid expectas? non tu pollentibus herbis,
Nec prece, nec magico carmine mater eris.
Excipe fœcundæ patienter verbera dextræ,
Jam socer optati nomen habebit avi,

* *In Romulo Edit. Basil. p. m. 11.*
* *Lib. 2. Fast. ver. 424.*

Et paulo post: *

Ille Caprum mactat, jussæ sua terga puellæ
Pellibus exectis percutienda dabant.

* *Ibid. ver. 434.*

Totidem pariter adolescentulæ; quarum unam (*n.* 7.) saxo quodam insidentem, quam vestis cœrulea tegit, alteram stantem, (*n.* 8.) punicea tunica indutam, & sociæ humeris hærentem; utrasque vero iis, quæ peraguntur, intentas conspicimus: mysteriis jamdiu initiatæ videntur; ex eorum nempe numero, qui

Ἐπόπται, *inspectores*, appellabantur. Qui enim parvis mysteriis dumtaxat initiati erant, Mystæ; ad magna recepti, Epoptæ nominabantur. Epoptæ autem erant inspectores; hoc est, quibus anno, postquam initiati primum fuerant, inspicere occultiores sacrorum ritus & cæremonias concedebatur. Neque enim a parvis initiis illico patebat aditus ad majora; sed annus experimenti causa interponendus erat.

Erant autem quasi quidam gradus, ut homines hujusmodi mysteriorum participes fierent, observandi: quos Theon Smyrnæus recenset; sic enim ait: * Καὶ γὰρ αὖ τὴν φιλοσοφίαν μύησιν φαίης ἂν ἀληθοῦς τελετῆς, καὶ τῶν ὄντων ὡς ἀληθῶς μυστηρίων παράδοσιν· μυήσεως δὲ μέρη πέντε· τὸ μὲν προηγούμενον καθαρμός. οὔτε γὰρ ἅπασι τοῖς βουλομένοις μετουσία μυστηρίων ἐστὶν, ἀλλ᾽ εἰσὶν οὓς αὐτῶν εἴργεσθαι προαγορεύεται. οἷον τοὺς χεῖρας μὴ καθαρὰς, καὶ φωνὴν ἀξύνετον ἔχοντας. καὶ αὐτοὺς δὲ τοὺς μὴ εἰργομένους ἀνάγκη καθαρμοῦ τινος πρότερον τυχεῖν. μετὰ δὲ τὴν κάθαρσιν, δευτέρα ἐστὶν ἡ τῆς τελετῆς παράδοσις, τρίτη δὲ ἐπονομαζομένη ἐποπτεία. τετάρτη δὲ, ὃ δὴ καὶ τέλος τῆς ἐποπτείας ἀνάδεσις, καὶ στεμμάτων ἐπίθεσις. ὥστε καὶ ἑτέροις ἅς τις παρέλαβε τελετὰς παραδοῦναι δύνασθαι, δᾳδουχίας τυχόντα, ἢ ἱεροφαντίας, ἤ τινος ἄλλης ἱερωσύνης. ἡ δὲ πέμπτη ἡ ἐξ αὐτῶν περιγινομένη κατὰ τὸ θεοφιλὲς, καὶ θεοῖς συνδίαιτον, εὐδαιμονίαν. * *Philosophiam rursus comparare possumus cum initiatione verorum sacrorum, & traditione mysteriorum non fictorum. Initiationis vero quinque sunt partes; prima*, Purgatio prævia; *neque enim omnibus etiam optantibus mysteria impertiri fas est; sed sunt qui præconis voce submoventur: quales illi, qui manus impuras, vocemque inarticulatam habent*; (Quod causæ fuit, cur Nero ab iis abstinendum putavit: Antoninus vero, ut suam morum integritatem omnibus testatam faceret, eisdem sacris adesse voluit.) *illos vero, qui mysteriis non arcentur, necesse est purgationibus quibusdam ablui. Purgationem sequitur* Sacrorum traditio; *idest initiatio. Tertia est, quæ dicitur* Inspectio. *Quarta vero, quæ finis est, & scopus inspectionis*, capitis religatio, & coronarum impositio; *ita ut quæ quis sacra acceperit, ea tradendi aliis capax reddatur; sive* Daduchiam, *idest* facium gestationem; Hierophantiam, *idest*, sacrorum interpretationem; *aliudve quodlibet Sacerdotium. Quinta vero, quæ ex istis exurgit Deo charum esse*, & potiri felicitate, *quæ continetur consortio familiaris cum illo vitæ.* Quinque sane gradus hujusmodi hisce in Tabulis clare exhibentur: in adolescente namque, qui initiatur, primum purificationis gradum agnoscimus: mulierem insuper, quæ, ut puerulum e senis gremio excipiat, dexteram protendit; quippe quæ sacrorum particeps fieri incipiat; secundi esse ordinis patet; quemadmodum & virgines, quæ detectas cistas herbis onustas gerunt. In duabus vero adolescentulis, quæ sacrorum cæremonias intentæ spectant, tertii ordinis Epoptas quis neget exhiberi? Binas præterea mulieres, quæ mysticam cistam imposita corona sustinent, quartum jam gradum attigisse, & Sacerdotio præditas esse aperte liquet; quippe quæ adolescentulum eadem sub cistula stantem initiant. Sublimis tandem Senex, frondeo serto redimitus, ad summam illam animi tranquillitatem, vitæque felicitatem, omnibus jam pervenisse gradibus videtur; qua de re ipsemet fortasse verba facit, ut alios quoque ad hujusmodi felicitatem sibi comparandam suo exemplo excitet.

Franciscus Blanchinus Romanæ Urbis Prælatus in ea fuit sententia, ut proxima in Tabula XI. mysticam Bacchi educationem nobis ob oculos poni, sibi persuaderet; de qua plura apud Nonnum * leguntur. Atque in Sene quidem, (*n.* 5.) sub Phanetis imagine; quem solis filium, ejusdemque ævi cum Saturno, & Mundi ortu fuisse perhibent; Mercurium agnovit, qui puerulum Bacchum (*n.* 6.) Rheæ, sive Eupetali (*n.* 7.) ejusdem nutrici porrigit: quamvis ipsemet Nymphis, Lami filiabus, quæ Hyades dictæ fuere; atque Ino Marinæ Deæ, Semeles sorori, ejusdemque materteræ, illum prius alendum tradidisset. Fasciolam insuper, quæ virgæ in Senis dextera agglutinatur, atque Corybantum clypeum, cui Senex idem insidet, ad Bacchi Orgia spectasse constat. Mercurius vero ut Cœlum repetat, denuo (*n.* 8.) pristinam suam induit imaginem. Iris præterea (*n.* 3.) futuras Bacchi res gestas, veluti venturi præscia, quasque apud Indos reportaturus esset victorias, Rheæ præcinit; quæ (*n.* 1.) exadversum ei sedet: Cui binæ Adolescentulæ (*n.* 2. & 4.) frugum primitias, de more veterum, oblatum afe-

* *In Mathematicis cap. 1. Edit. Lutet. Paris. pag. 18. & seq.*

* *Ismaele Bullialdo interprete.*

* *Lib. 9. Dionys.*

ferunt. Quidam denique Poeta, (*n.* 9.) ipſemet fortaſſe Nonnus, laurea præcinctus corona, Bacchi laudes perſequitur, ejuſque arcana ſacra explicat. Quod ad hanc Tabulam XII. attinet, ea laudati Blanchini fuit opinio, ut in illa, quas innuimus cæremonias, exhiberi putaret, quibus, quum myſteriis initiarentur, veteres uti conſueverunt. Quæ quidem ſententia quum ab iis, quæ diximus, minime abhorreat; nihil eſt cauſæ, cur in ea exponenda plurimum operæ inſumam: illud tantum dicam, ex laudati auctoris, quoad vixit, ore ac ſtylo perennem eruditionis fontem emanaſſe.

TABULA XIII.

Nymphæum in hortis Barberinis repertum.

VEtus hujuſmodi Pictura, quam & lineamentis, & colorum artificio viſendam hac in Tabula exhibemus, in hortis Barberinis, quum terra circa novas ædes altius effoderetur, in antiquæ ſepultæque cellulæ pariete ſe aperuit. In quam ſane Lucas Holſtenius Vaticanæ Bibliothecæ cuſtos; vir profecto de literaria Republica optime meritus, quique in veterum monumentis perveſtigandis nemini ævi ſui judicii perſpicacitate ſecundus extitit; Commentariolum edidit. * Hic itaque, poſtquam illam vivis eloquentiæ coloribus depinxiſſet, hoc pacto differit.

** Extat in Græpii Theſ. Rom. Antiq. edit. Venet. Tom. 4. pag. 1700.*

Sed noſtra hæc (*ſcilicet Pictura*) ſimul atque in lucem propoſita fuit, mirifice exercuit curioſitatem eorum, qui veteribus hujuſmodi monumentis perveſtigandis, explicandiſque incumbunt. In his familiam tunc ducebat Alexander Donatus, qui poſt plurimos ejuſdem generis & argumenti Scriptores, veterem recentemque Romam commentario perquam erudito illuſtravit. Hic perſuaſiſſimum ſibi habebat, eo loci, ubi ædes Barberinæ non ita pridem ſurrexerunt, Capitolium vetus a Numa rege olim conditum fuiſſe; ſive ædem Jovi, Minervæ, Junoni; & prope additam eis Regis domum, cujus locus adhuc Plutarchi tempore oſtendebatur. His quum alia ſuffragari, tum aliquid argumenti capi putabat ab effoſſa pictura. Nam Jupiter, inquit, αἰγίοχος, ſi poetæ audiuntur, ideſt, *a capra nutritus*, ſuam illam Amalthæam unice dilexit, Cœloque donatam, ortu occaſuque imbribus fluentem fecit. Hoc vero pictæ ad Jovis ædem paſcentes, otianteſque; vel ad aquationem deſcendentes capræ, labentibus circum, & ſtagnantibus aquis, ſignificare poterunt. Numa autem nonne delectatus Aventino fonte, multa ferebatur ibi ab Egeria didiciſſe? Hæc vir doctus ad picturæ hujus explicationem tunc afferebat, quæ altius repetita & arceſſita longius videntur. Quis enim, urbis facie toties mutata, caſca iſta monumenta, aut verius ænigmata, uſque ad excidium ejus perduraſſe credat?

Sed nobis quoque divinare liceat: quandoquidem, ut vetus Græciæ verbum eſt, *qui vera conjicit, ille vates optimus*. Etenim niſi me animus oculique egregie fallunt, Nymphæum; ſive ſacrum aquarum fontiumque locum in hac Tabula mihi perſpicere videor. Omnia enim Nymphis conveniunt: antrum nativis tophis lapidibuſque lacunatum, & arcuata in cameræ formam rupes; tum ſcaturientes paſſim uberrimis fontibus, & excerptæ diffuſæque caſtellis aquæ; ad hæc ædicula oſtio antri appoſita, & eminentes in ejus faſtigio crateres; paſcentes quoque circa eandem capellæ. Accedunt & varia ἐνοδίων, ſive *Compitalium* Deorum ſimulacra, quæ loci religionem confirmant. Ad ſingula eorum, quæ dixi, ſtabilienda; argumenta, veterumque teſtimonia conquiri neceſſum non eſt. Quis enim vel leviter Poetarum ſacris initiatus antra Nymphis dedicata dubitet? præſertim qui Porphyrii Philoſophi luculentam diſſertationem legerit, * qua Homericum illud Nympharum antrum, obſcuræ & reconditiſſimæ ſapientiæ plenum, illuſtravit. Unde ab Orpheo inter alia Nymphæ ἀντροχαρεῖς σπήλυγξι κεχαρμέναι, hoc eſt, *antricolæ & ſpecu gaudentes* indigitantur. * Nec temere quævis antra colunt, ſed fontium & aquarum ſcatebris irrigua: hinc idem Orpheus: * ὑγροπόροις γαίης ὑπὸ κεύθεσιν οἰκί' ἔχουσαι. *Quæ liquidas habitant ſub terræ anfractibus ædes*. Et Vergilius, * Lybicum illud *ſcopulis pendentibus antrum*, quod intus aquæ dulces ſcaturirent, *Nympharum domum* appellat: eam enim ob cauſam Hydriades

**De antro Nympharum G. L. cum interpretatione Lucæ Holſtenii. Cantabrigiæ typis Academiæ 1655. in 8.*
** Hymno in honorem earundem conſecrato.*
** Ibidem.*
** Lib. 1. Æneid. v. 170.*

&

& Ephydriades vocatæ. Pagæas quoque, & Najadas a ſcaturiginibus fontibuſque, quibus præſunt, nomen adeptas teſtatur Porphyrius; * [*Loco ſuperius citato.*] neque aliunde Crenææ appellatæ; ſed nec Oreadas & Napæas hoc loco excluſerim: *ἅτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης στείβουσι κάρηνα. Qua petræ per celſa abruptaque teſqua vagantur*: ut Homerus * [*Hymno in Panas verſ. 4.*] cecinit. Montium enim prærupta, & cavernoſa, quæ Græcis ſunt *νάπαι*, Oreſtiades & Nepææ frequentare credebantur. Ædiculas autem Nymphis ad aquarum capita fonteſque poſitas, vel unum hoc nos docet Epigramma Uticenſe apud Gruterum: * [*Tom. 1. pag. xciii. 9.*]

Sextus Pompejus primus cognomine Pardus,
Quojus & hoc ab avis contigit eſſe ſolum;
Ædiculam hanc Nymphis poſuit, quia ſæpius uſus
Hoc ſum fonte ſenex tam bene, quam juvenis.

Talem hic expreſſam quis non videt? Nam tholus in pyramidem acuminatus, ſummoque faſtigio in florem ſeſe aperiens, ſacellum hoc, ſive Deorum Ædem eſſe, ex Vitruvii * [*Lib. 4. Cap. 7. edit. Elzev. 1649 p. m. 76.*] doctrina ſatis ſuperque oſtendit. Crateres autem zophori angularibus acroteriis impoſiti Nymphis eam indubitate vindicant. Symbola enim Nympharum Hydriadum eſſe crateres lapideos Porphyrius diſerte affirmat: * [*Loco laudato.*] quibus & Poetarum princeps Ithacenſe antrum adornavit. * [*Odyſ. N. ver. 105.*] Arcanos autem veteris theologiæ ſenſus, fontium & craterum ſymbolis involutos, ſi quis altius rimari velit, præter Porphyrium, Procli theologiam Platonicam conſulat: * [*Lib 5. cap. 31. & ſeq.*] & Scholia in Cratylum, * [*Cap. 142. & 143.*] quæ in Barberina bibliotheca typis nondum vulgata ſervantur.

Cæterum nec Apes a Nympharum æde arcendas pictor eruditus cenſuit, Homerum hac quoque parte religioſe ſequutus. Quum enim Nympharum ſacra non aliter conſtare ſciret, ædis veſtibulo apiculam appinxit, velut Nympharum Flaminicam, ſive æedituam, ad templi fores obſervantem. Quomodo enim Nymphæ apiculas averſentur, quarum nomen ultro ambiunt; eoque, ſi Porphyrio * [*Loco ſæpius citato.*] credimus, peculiariter appellari gaudent? idque vel puritatis cauſa, (apibus enim Eucherius, Albertus Magnus, Petrus Damianus, Quintilianus, Vergilius, aliique ſcriptores virginitatem ſignificari docent,) vel ob communem utriuſque dulcedinem. Seu verius, Mnaſeæ Patarenſis ſententia, ut apud Pindari Scholiaſten * [*Pythio. Δ ad verſ. 86. in Scholiis Græcis Oxonii 1697. col. 2. lin. 7. p. m. 319.*] legimus, quod Meliſſa Nympha repertum abs ſe mellis uſum tradiderit mortalibus, eoque a cultu victuque inhumano ad humanitatem eoſdem traduxerit. Sane apem, qua puritatem, qua induſtriam, ita Deorum ſacris convenire exiſtimavit antiquitas, ut non unam dumtaxat Flaminicam Cereris, ſed & alias quorumcumque Deorum Dearumque Sacerdotes, Meliſſas appellarit; quod poſt Porphyrium, & Pindari Scholiaſten, veterum teſtimoniis comprobare ſuperfluum eſſet.

Quod vero ad Capellas attinet, quas errantes in hac eadem Tabula conſpicimus: Ego vero, inquit laudatus Holſtenius, eodem jure, quo apes, ad Nympharum adyta eas admittendas cenſeo. Nam Meliſſam & Amalthæam ſorores germanas fuiſſe, Lactantius * [*De Falſa relig. Lib. 1. cap. 22.*] ex Didymo in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς, *expoſitionis Pindaricæ* prodidit, *quæ Jovem puerum caprino lacte, ac melle nutriverunt*. Orpheo * [*Hymno ſuperius laudato.*] quoque Nymphæ αἰγολικαὶ & νόμιαι, ſive *caprotinæ* & *paſtorales* dicuntur, quia paſtoribus & capellis gaudent. Unde & Homerus * [*Hymno in Pana.*] Fauno Capripedi Nymphas comites dedit, eo, quem ſupra laudavi, hymno; nec aliam ob cauſam capras hædoſque Nymphis & fontibus Veteres immolabant. Ad hæc ſi teſqua aſpera, & ſaxa confragoſa ſpectes, quid aptius pictor illis appingere potuit, quam capras ὀρεσκῴους, & ὀρεινόμους, & ὀρειάδας, ideſt *montanas* Homero, aliiſque propterea dictas, quia arduas præcipiteſque rupes pendulo veſtigio perreptare amant?

Cætera ornamenta æediculæ, ſive anathemata haud facile quis diſpexerit, ita evanidi fugienteſque colores viſum eludunt; paſtoralia tamen, aut piſcatoria fuiſse arma, indicant retia, & alia ejus generis, ut videtur; qualium dedicationes in Græcorum Epigrammatum collectione leguntur. Numquid vero & hic ſub filis reticulatim implexis, pepliſque juxta ædiculam ſuſpenſis, Nympharum

rum ſtamina, ac telæ, & tota illa myſtica Deorum ἱςυργία, ſive *textura*, latet? quam Ithacæ in antro deſcribit Homerus; * & Porphyrius in ejuſdem declaratione luculenter explicat. Sane quam frugi & pudicæ matrisfamilias laudem præcipuam duxerunt Romani, ut optima eſſet lanifica, & colum fuſumque amaret, eam in ſuis Deabus vetuſtiſſima Græcorum theologia agnovit. Quoad Romanorum matresfamilias hæc apud Auſonium * leguntur.

*Odyſſ. N. verſ. 108.

* Parental. ep. 2. v. 3.

Morigeræ uxoris virtus cui contigit omnis:
Fama pudicitiæ, lanificæque manus.

Unde non ſolum Nymphæ Ithacenſes in ſtaminibus telas purpureas detexunt; ſed ipſam quoque Minervam, ἀθανάτων περφερεςάτην ἁπασῶν, *omnium immortalium præſtantiſsimam*, texentem induxit Orpheus, cujus hac de re verſus nobis ſervavit, & egregia interpretatione illuſtravit Proclus * in Cratylum. Sed quid clarius, quid illuſtrius inſtituto cum Arachne texendi certamine; ut eſt apud Naſonem *?

* Cap. 53.

* Lib. 6. Metam. verſ. 6.

Quam ſibi lanificæ non cedere laudibus artis
Audierat Pallas; *&c.*

Ejuſmodi vero ædiculas incuſtoditas olim ipſa loci religio tutas præſtabat; ut oſtendit *L.* 6. *D. ad Leg. Jul. pecul.* quæ de peculantibus pœnam ſtatuit.

Hactenus Nympharum ſacra irriguo ſub antro perluſtravimus. Si collem antro imminentem ſpectemus, & adjacentem colli planitiem, hic quoque omnia tam præſentibus plena ſunt Numinibus, ut facilius poſſis Deum, quam hominem invenire. Alia enim parte Hermas, ſive Faunos videre eſt ithyphallos; nam teſte Herodoto * etiam Mercurii ſtatuas cum rigido & porrecto veretro fingebant veteres, eumdemque in biviis & compitis ponebant, quod viis præeſſe crederetur; unde Enodios, ſive Viarius, vulgo dictus. * Quin etiam ante ædes ad januam, & portarum cardines colebatur, ut furtorum artifex fures ab ædibus arceret, indeque Strophæum dixere: cujus numen idem creditum cum Apolline Agyæo & Thyræo, a vicis, portiſque ſic dicto: perinde ut Romani ſuos illos oſtiorum Deos, Forculum a foribus, & Limentinum a limine, & ipſum Janum a Janua vocaverunt, teſte Tertulliano. * Verum enim vero Hermæ iſti viarii ſaxo aut ſtipite quadrato ſine brachiis manibuſque ut plurimum fingebantur: hoc autem, quod in rupis ſupercilio ſtat ſignum, non brachiis tantum, ſed cornibus quoque inſtructum videtur & cauda; niſi ea potius incurva falx, qua Silvanum, Priapum, & reliquum hoc numinum genus armabat antiquitas.

* In Euterpe, ſive Lib. 2. cap. 51. edit. Lugd. Bat. 1716. p. m. 108.

* Ut & nos ſupra innuimus Tab. X.

* Lib. de Idolat. cap. 15.

Parte alia ad montis crepidinem Dearum triga uno ſacello dedicata apparet: hanc triformem illam tergeminamque Hecatem, *tria virginis ora Dianæ*, affirmare haud dubitaverim. Diana enim, ut ait Varro, * ab eo dicta eſt Trivia, *quod in Trivio ponitur*; unde & τριόδων ἐπόπτις, hoc eſt, *triviorum præſes* dicitur Phornuto *: Triformis autem, teſte Servio, quia trium poteſtatum numen eſt, ipſa enim eſt Luna, Diana, Proſerpina. Sed nos interim alteram Cœlo, alteram Erebo potentem mittamus. Sane *Diana*, ut auctor eſt Feſtus, * *viarum putabatur Dea*, & quod ad earumdem divortia, itidem ac Mercurius, poneretur, ipſa quoque Enodiæ cognomen habuit. Cæterum hæc de vicinis Deorum ſignis & ſacellis ad Nymphæi religionem confirmandam attuli: quod veteres ea plerumque conjunxiſſe, vel uno Strabonis teſtimonio compertum habeam. Ille * enim Alphei fluminis, quaſi in Arethuſæ amplexum properantis, oſtia, & imminentem e proximo Dianæ Alphejoniæ, ſive Alphiuſæ lucum commemorans, totum iſtud ſolum, propter aquarum copiam, Dianæ, Veneris, & Nympharum lucis, donariiſque refertum ſcribit; eique crebras Mercurii in viis ſtatuas, & Neptuni in litore ædiculas adjungit. Atque hæc Holſtenius ad hujuſce Tabulæ declarationem.

*Lib. 6. de Ling. Lat. edit. Amſt. 1623. p. m. 69.

*De Nat. Deor. cap. 34. cui tit. ſeorſim quædam de Diana.

*De verb. ſignif. ad voc. Juvenalia edit. Venet. 1560. p. m. 135.

* Lib. 8. Edit. Amſtel. 1707. p. mihi 528.

TABULA XIV.

Pictura in fornice Tabernæ Nummulariæ, ubi Peregrinis militibus stipendium numerabatur, in Cœlio monte reperta.

PErelegans hujusmodi Tabella, in cujusdam conclavis fornice depicta, (quod sane conclave apud S. Stephani in Cœlio monte templum, quod a forma Rotundum appellant, sub terra diu latitans præterita ætas in apricum protulit:) nos admonet, ut in proximam S. Mariæ in Dominica ædem oculos conjiciamus; quam juxta Castra Peregrina extitisse docet Panvinius: * quod ut sibi persuaderet, duo veterum monumenta ibidem effossa, quæ de Peregrinis mentionem facerent, illum forsitan impulerunt; uti observat Nardinus: * Quibus & aliud nos adjungimus, quamvis non integrum; quod eodem in loco, quo hujusmodi depicta Tabula, repertum Franciscus Bartoli nobis impertitus est: ex quo pariter clarius ostendatur, eorumdem Peregrinorum domicilium haud longe illinc abfuisse.

* *Ex Marliano in Topogr. Ant. Urb. Cap. 10. Tab. 2. nec non Cap. 143.*
* *Lib. 3. cap. 7.*

ENIO SANTO
CASTRORUM
PEREGRINORUM
AUR. ALEXANDER
ANALIO LARIUS
QUOD PEREGRE
OSNII TUTUS VOVIT
EDIL. CASTRORUM
VII BENSOLVIT.

Licet sint nonnulli, qui ibidem Mansiones Albanas collocant: quæ sane minime referri suspicor ad veteres illos Albanos, quibus civitate donatis Rex Hostilius Montem Cœlium ad habitandum tradidit; verum ad quosdam *milites, quibus Cæsarum principatu, quum in Albano Castra, & familiæ essent, necesseque haberent sæpe, accitu Imperatorum, aliisque de causis Romam ventitare, mansiones quoque in eadem, domosque paratas habere debuerunt*: uti commode notat Donatus. *

* *De urbe Roma Lib. 3. cap. 12.*

Quoquo pacto res sese habeat, hujusmodi conclave tabernam nummulariam fuisse, ubi hisce militibus stipendium numerabatur, facile affirmaverim; præsertim quum ex allata Tabella in ejusdem fornice depicta id facillime colligi posse videatur. In ea namque præter cætera, quæ adsunt, ornamenta, binos videre est puerulos; quorum alter cuidam mensæ assidet, in qua nummi jacent; alter vero adstat; ambo tamen calculos quosdam manu detinent, quibus veteres in subducendis rationibus uti consueverunt.

TABULA XV.

Anaglyphum marmoreum in quo M. Antonius, Bacchi vestibus de more indutus, exhibetur, ex Museo Cardinalis Carpinei.

INter historicas observationes ad quædam veterum maximi moduli numismata Cl. V. Senatoris Buonarroti, qui hac in re quantum excelluerit, nemo profecto est, quem lateat, hoc idem, quod præsens exhibet Tabula, anaglyphum marmoreum extat, * ex Cardinalis Carpinei Museo desumtum. In hoc itaque Vir ille ad res hujusmodi perspicacissimus, M. Antonium, Bacchi vestibus de more indutum, * ex vultus lineamentis agnoscit; caput enim hederacea redimitur corona: humeros, pectusque pellis obtegit; quod pariter floreum sertum lævo ab humero ad dexterum latus demissum, revincit, crepidæ denique seu cothurni acu picti pedibus sunt ornamento. * Manuleatam præterea tunicam gestat, stolaque superinduitur, quam sane ex rubri coloris reliquiis, quæ adhuc variis in locis dispiciuntur, purpurisso infectam esse licet agnoscere. Nec mirum, Bacchi enim nonnulla simulacra pigmentis inficere mos fuit, uti Pausanias docet. * Atque hinc est, quod Anaglyphum opus hujusmodi huic veterum Tabularum collectioni addere minime alienum visum est; quum partim depictum, partim exculptum appareat.

* *In descript. Triumph. Bacch. lap. inc. sub fin.*
* *Vid. Vellej. lib. 2. Plutarch. in ejus vita: Dio. Lib. 48. & 50. Athen. lib. 4. cap. 12.*
* *Vid. Pausan. lib. 8. pag. 506.*
* *Lib. 7 p. 452. & lib. 9. pag. 590.*

Jam

Jam vero hedera Libero quondam patri ſacra, ejuſque celebre coronamentum fuit; quin apud Ægyptios in Oſiridis tutela eſſe putabatur; necnon Bacchæ in Orgiis, Bacchi ſacris, eadem fuere redimitæ: quæ inſuper variis Cervorum, Damarum, Caprearum, Leporum, Tygrium, Pantherarum, Leonum, ſimiliumque pellibus amiciebantur; quas quidem pelles omnes uno dumtaxat verbo Græci νεβρίδα vocabant; licet eo nomine hinnuli, ſeu cervi anniculi pellis deſignaretur, qui νεβρὸς a Græcis, *hinnulus* a Latinis appellabatur. Verum eos, qui Bacchi ſacris initiabantur, hinnuli pelliculam induere conſueviſſe docet Clemens Alexandrinus. In Bacchicis autem ſacris ideo veteres hujuſmodi belluarum pellibus ſeſe cooperiebant, ut eo pacto incedentes, iis, qui occurrebant, terrorem fortaſſe incuterent. Sane hac de re hujus Numinis ſimulacrum graphice nobis depingit Claudianus *. *Lib. 1. de rapt. Proſerp. v. 16.

. . . . . . Leniſque ſimul procedit Jacchus
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tygris, & auratos in nodum colligit ungues.

Veteres præterea, florum faſciculis coroniſque capita revincti, in conviviis potare ſoliti erant; ac præſertim e roſis, quæ & gravitatem capitis ſedant, & potione æſtuantes refrigerant. Nec vero crinibus ſolum roſas implicabant priſci, ſed & menſas ad convivia ſtructas roſarum foliis contexere, & epularum ea ferculis inſpergere ſolebant. Hinc Horatius: * *Lib. 1. Od. 36. v. 15.

Neu deſint epulis roſæ.

Necnon Tibullus: * *Lib. 2. Eleg. 6. v. 59.

Aut e veſte ſacris tendent umbracula ſertis
Vincta, coronatus ſtabit & ipſe calix.

Quod ad crepidas ſeu cothurnos attinet, eos purpura, auro, gemmiſque diſtinguere mos fuit, apud molles præſertim & effeminatos viros; quos inter recenſendus Heliogabalus; quem eoſdem ſummo elaboratos artificio geſtare conſueviſſe memoriæ proditum eſt.

Puerulum inſuper quemdam, ex Faunorum fortaſſe familia, ad lævam prædicti ſimulacri videre eſt, tibias inflantem; quæ in primis in Bacchanaliis olim magni uſus fuerunt, uti ex Ovidio * diſcimus: *Lib. 3. Metamor. ver. 528.

Liber adeſt, feſtiſque fremunt ululatibus agri:
Turba ruit, miſtæque viris matreſque, nuruſque,
Et vulgus, proceresque ignota ad ſacra feruntur.
Quis furor Anguigenæ proles Mavortia veſtras
Attollit mentes? Pentheus ait: Ærane tantum
Æra repulſa valent, & adunco tibia cornu?

Ad dexteram vero mulieris cujuſdam imago, quam ſtantem, ſuperne tamen abſciſſam, conſpicimus, ex Bacchis aliquam fortaſſe exhibebat; quæ crepitaculum, ſive tympanum, aliudve inſtrumentum in Bacchi Orgiis ſolemne, pulſabat. In angulo denique ſtylobatem quemdam eleganti elaboratum artificio minime præterire debemus, quo ſuper ſimulacrum quoddam erectum apparet; cujus tamen vel exiguam partem temporum injuria nobis reliquam fecit; quodque Cleopatram ſub Iſidis, aut Lunæ imagine fortaſſe exhibebat; ipſa enim hujuſmodi Dearum, ſicuti M. Antonius Oſiridis & Bacchi ornamentis, ſeſe induere conſuevit; quemadmodum Dion, de ambobus verba faciens, ſcriptum reliquit; * ſic enim ait: Συνεγράφετό τε αὐτῇ, καὶ συνεπλάττετο, αὐτὸς μὲν Ὄσιρις καὶ Διόνυσος, ἐκείνη δὲ, Σελήνη τε καὶ Ἶσις, λέγοντες εἶναι. ἐξ ὅπερ καὶ τὰ μάλιστα ἔκφρων ὑπ᾽ αὐτῆς ἐκ μαγγανείας τινὸς γεγονέναι ἔδοξεν. *Oſiridem ſe & Dionyſium, ipſam ſe Lunam & Iſidem, ſcribebant ac fingebant, quo magis præſtigiis quibuſdam ad inſaniam ab ea adactus videbatur.* *Lib. 50. Hiſt. Rom. Edit. Hanoviæ 1606. p. 421. E.

TA-

TABULA XVI.

Pavimenti cujusdam reliquiæ in quo tessellato opere Neptuni imago exprimitur; in Transtyberina regione inventæ.

PUlcherrima sane tessellata lithostrata, albi nigrique colorum diversitate imagines exprimentia, digna videntur, quæ inter selectas hujusmodi veterum Tabulas, tum delineationis, tum artificii elegantia, recenseantur. Præsens profecto emblema, quod hac in Tabula exhibemus, quum in Transtyberina regione ædificia inter S. Callixti & S. Francisci ædes excitarentur, detectum apparuit; quod ego reliquias esse pavimenti cujusdam Naumachiæ Augusti, affirmare ausim; quo ab eodem Alsietina aqua deducta est, quæ deinceps, mutuato ab eo nomine, Augusta cœpit appellari, uti Frontinus scriptum reliquit. * Hoc autem emblema ex coagmentatis tessellis Neptuni imaginem, veluti penicillo depictam, repræsentat, qui quidem Neptunus sinistra tridentem de more retinet; dextera vero apprensum Delphinum manu stringit; non aliter ac in nummis passim occurrit; interque alios in quibusdam M. Agrippæ, in quibus ex averso latere Neptunus stat medius cum pallio Divinitatis, dextera Delphinum sustinens, sinistra tridentem *. Hinc ad rem de Delphino ejus Dei symbolo hæc Hyginus *: *Qui Neptuno simulacrum faciunt, Delphinum aut in manu, aut sub pedibus ejus constituere videmus, quod Neptuno gratissimum esse arbitrantur*. Idque ea præcipue de causa, quod Amphitriten, vel maxime a nuptiis abhorrentem, pellexerit, ut eidem Neptuno nuberet.

Quod ad tridentem attinet, ejusdem pariter Neptuni symbolum fuit, triplicem aquæ naturam denotans ex Phornuto *: de quo hæc habet Fulgentius: * *Tridentem vero ob hanc causam ferre fingitur, quod aquarum natura triplici virtute fungatur, idest, sit liquida, fœcunda, potabilis*. Sive, (quemadmodum Alexander Maffejus erudite innuit in suis animadversionibus ad veteres recentioresque Romanorum statuas, quas Dominicus de Rubeis in lucem edidit,) ut omnibus palam fieret, triplicem penes Neptunum potestatem esse: eumque posse, & maris æstus temperare: idemque, quum libeat, ab imo usque procellis agitare, ac miscere: ac denique *motos componere fluctus*. *

**Lib. 1. de aquæduct. Urb. Rom. Extat inter ejus opera edit. Amstel. 1661. pag. m. 221.*

**Apud Vaillant in fam. Vipsania, numism. 7. 8. & 9.*

** Lib. 2. Astronom. §. 17. Extat inter Mythogr. Lat. edit. Amstel. 1681. p. m. 388.*

**Libell. de Nat. Deor. cap. 31. de Neptuno: extat inter opera Hygini edit. Basil. 1570. p. m. 155.*

** Mythol. lib. 1. §. 3. Extat inter Mythog. Lat. Tom. 2. edit. Amstel. 1981. p. m. 37.*

** Verg. Æneid. 1. v. 139.*

TABULA XVII.

Pavimentum alterum, tessellis pariter stratum, in quo Amphitrites conspicitur.

IN altero vero tessellis pariter strato pavimento ejusdem Naumachiæ Augusti, Amphitriten, sive aliquam ex Nereidum familia, marino vectam equo, expressam conspicimus; quæ superne denudata, velum quoddam utrisque manibus retinet, quod tamen aura leniter inflatum per aerem sese explicat. Hoc propemodum pacto Nereides feris marinis vectas nobis depinxit Claudianus *.

Necnon & variis vectæ Nereides ibant,
Audito Tritone, feris: hanc pisce volutam
Sublevat Oceani monstrum Tartessia Tygris:
Hanc timor Ægei rupturus fronte carinas
Trux Aries: hæc cœruleæ suspensa Leenæ
Innatat: hæc viridem trahitur complexa Juvencum.

Extant adhuc nonnullæ cælatæ veterum gemmæ, necnon anaglypha quædam, in quibus non tantum Amphitrites, verum etiam Venus ipsa, Tritonibus vecta exhibetur; nempe, ut humorem rerum omnium principium esse innuerent. *

**De Nupt. Hon. & Mar. ver. 181.*

** Vid. Michael. Ang. Caus. Mus. Rom. Sect. 1. Gem. 41.*

TABULA XVIII.

Aliud haud absimile Pavimentum, ad Portam Capenam effossum in quo Neptunus, Nereides &c. exhibentur.

BIna, quæ hac, & sequenti Tabula exhibentur pavimenta, vermiculato pariter emblemate elaborata, ad Portam Capenam effossa fuisse constat: quin nonnullis persuasum est, eadem ad proximam Piscinam publicam spectasse, quæ haud illinc longe extructa est, Appia aqua id suadente, quæ passuum

ſuum amplius undecim millibus derivata: prope Portam Capenam effundebatur. Quæ quidem Piſcina, quo loci extaret, docet Cicero * ad Q. Fratrem hæc ſcribens: *Romæ, & maxime Appia ad Martis mira proluvies. Craſſipedis ambulatio ablata, horti, tabernæ plurimæ, magna vis aquæ uſque ad Piſcinam publicam.*

* Lib. 3. Ep. 7.

In horum autem pavimentorum altero, quod hac in Tabula exhibetur, Neptunum quadriga per æquora vectum conſpicimus, qui læva habenas retinet; dextera vero tridentem. Venuſtæ præterea Nereides, ac jocoſi cupidines, qui tridentes, vel ſagittas manibus gerunt; ac Delphinis, aliiſque marinis feris per undas circumvehuntur. Piſcatores etiam nonnulli in cymbis apparent; quorum quidam retia piſcibus onuſta contrahunt; quidam vero cymbulam remis agunt. Varii inſuper piſces, monſtroſæque maris pecudes liberis undis vagantur: omnia denique, ut ita dicam, aquatilia ob Amphitrites nuptias gaudio geſtire videntur; quæ ſane Amphitrite, quo facilius a ceteris Nymphis dignoſceretur, Delphino vehitur, quodam volitante palliolo amicta; non ſecus ac vir ejus Neptunus, de quo hæc Apollodorus: * *Neptunus Amphitriten Oceani filiam ſibi conjugio copulavit.* Necnon Claudianus: *

Neptunum gremio complectitur Amphitrite.

Cujus rei cauſam affert Fulgentius: * *Neptuno Amphitriten in conjugium deputant; ἀμφὶ enim Græce circumcirca dicimus, eo quod omnibus tribus elementis aqua concluſa ſit.*

*Lib. 1. Biblioth. ſive de Diis: Edit. Salmurii 1661. p. m. 14.
* Lib. 1. de Rap. Proſ. ver. 104.
* Lib. 1. Mythol. §. 3. de Neptuno. Extat inter Mythogr. Lat. edit. Amſtel. 1681. T. 2. p. m. 37.

TABULA XIX.

EOrumdem pavimentorum alterum hac in Tabula delineatum apparet, in quo ſane eamdem in primis Amphitriten, velo pariter, quod ventis inflatur, exornatam videre eſt; tres inſuper Nereides, quæ marinis vehuntur monſtris; quoſdam præterea aligeros puerulos, qui manibus tridentes præferunt; delphinos quoque, atque piſces complures; quatuor denique majores tridentes, qui pavimentum quadrifariam diſpertiuntur. Tum vero Tabulæ in medio circulus quadrato ineſt, in quo ſane quædam ſtellæ effigies, octo diſtincta radiis, conſpicitur; quibus profecto radiis totidem ventorum genera ſignificari videtur.

Pavimentum aliud repertum pariter ad Portam Capenam, in quo Amphitrite, Nereides, &c. delineatæ apparent.

Hujuſmodi autem Piſcina publica cui fuerit uſui; docet Feſtus: * *Piſcinæ publicæ*, inquit, *hodieque nomen manet, ipſa non extat; ad quam & natatum, & exercitationis alioqui cauſa veniebat populus.* Ut eorum incolumitati fortaſſe proſpiceretur, qui natandi non ſatis periti, Tyberis undis ſeſe committere non auderent; quemadmodum animadvertit Nardinus *.

* De verbor. ſignif. in verb. Piſcinæ.

* Rom. ant Lib. 7. cap. 6.

TABULA XX.

HUjuſmodi ſane pavimenti decor & elegantia ad Numinis, cui dicatum eſt, ſuavitatem, ac feſtivitatem apte quadrare videtur: pampineus quidem ac floreus ornatus, tum perſonæ in angulis; atque hinc vaſculum, illinc cantharus; tintinnabula præterea, aliaque Bacchanalium inſtrumenta, nobis in animum inducunt, ut Bacchi ſimulacrum in medio delineatum agnoſcamus: qui juvenili ſpecie fingitur, & corpore adeo tenero, ac delicato, ita ut virginem referat; ea fortaſſe de cauſa, quod quidam duplicem illi formam tributam volunt; maſculam nempe, & fœmineam: quoniam ebrietas corpus animumque virilem effœminat: quamobrem ſimulacrum ejus muliebri ſtola, quæ ad imos uſque pedes demiſſa erat, veteres induere conſueverunt.

Pavimentum alterum, ſingulari elaboratum elegantia, ad Ædes S. Stephani vulgo Rotundi, una cum duobus proximis, quæ ſequuntur, repertum, in cujus medio Bacchi ſimulacrum agnoſcimus.

Præterea Bacchum cum cornibus priſcos homines finxiſſe Diodorus * memoriæ prodit: cornuaque proprium illius, ac peculiare fuiſſe ornamentum, indicat Ovidius: *

Accedant capiti cornua; Bacchus eris.

Sive quod Ammonis filius ſit habitus, quem ſane quidam afferunt, ingenita in utriſque temporibus parvula habuiſſe cornua; ac propterea filium ejus Bacchum eo-

*Rer antiq. Lib. 4. Cap. 2. edit. Baſil. 1559. p. m. 100.
*Heroid. Ep. 15. verſ. 24.

eodem fuiſſe aſpectu; poſteriſque traditum, Deum hunc cornua geſtaſſe; uti animadvertit laudatus Diodorus. * Sive quod illum cum Sole & Oſiride eundem eſſe Ægyptiorum opinio fuerit, uti Plutarchus * narrat. Idem inſuper Bacchus apud Memphim, aliaſque Ægypti urbes ſub tauri imagine colebatur; neque abs re: illius enim ſimulacra haud plurimum a tauri forma diſcrepare videbantur: qua quidem de re Macrobius verba facit. * Hoc autem ideo ab illis factitatum crediderim, ut innuerent Bacchum primum omnium boves ad jugum junxiſſe; eorumque opera frugem jacta ſemina reddidiſſe; ſicuti Tibullus cecinit: *

Illi etiam tauros primi docuiſſe feruntur
Servitium, & plauſtro ſuppoſuiſse rotam.

Sive ut boum cornibus bibendi conſuetudinem indicarent, quam apud priſcos invaluiſſe fama eſt, ut refert Athenæus *. Sive denique quo clarius oſtenderent, eam hominum menti vim inferre vinum, ut ad violentiam temulentos concitet, nec non ad iracundiam atque inſaniam eos adigat, de ejuſdem Athenæi * ſententia; ideoque a veteribus Bacchum tauro fuiſſe comparatum. A Nicandro ſane & Strabone hujuſmodi numen κερασφόρος Θεός, *corniger Deus* appellatur; necnon ab Orpheo * ταυρομέτωπος, atque ταυρόκερος indigitatur, nempe *cui facies eſt, & cornua tauri*. Carolus denique Paſchalis * Bacchi mitram huic ſimillimam innuit: *Bacchica mitra fuit nivea, & cornuta*. Neque ſolum ejuſdem ſimulacro cornua appinxit vetuſtas; ſed ipſemet etiam ταυροφάγος a Sophocle * appellatus eſt, ſcilicet *tauri-edax; quod bos daretur dithyrambicis Poetis in victoriæ præmium*; uti ad hanc rem animadvertit Ariſtophonis ſcholiaſtes: * atque ſub hujuſce pecudis imagine Cyzici colebatur.

Bacchum præterea unum, eumdemque cum Apolline Deum olim habitum fuiſſe, docet Macrobius *: quod quidem vel ex eo intelligi licet, quod Bacchi caput hic in Tabula laureo ſerto redimitur: laurum autem Apollini ſacram eſſe nemo eſt, quem lateat. Quoniam autem a Sole, qui aſtrorum obtinet principatum, ſtellæ reliquæ lucem mutuantur; hinc in quatuor hujuſce tabellæ angulis totidem pariter ſtellæ conſpiciuntur: niſi credere mavis ad Ariadnæ coronam, quam novem ſtellis ornatam * Bacchus aſtris intulit, eas eſſe referendas: de qua hæc apud Aratum *:

Αὐτοῦ κἀκεῖνος στέφανος, τὸν ἀγαυὸν ἔθηκε
Σῆμ᾽ ἔμμεναι διόνυσος ἀποιχομένης ἀριάδνης.
Ibidem & illa corona, quam lucidum poſuit
Signum eſſe Bacchus morientis Ariadnæ.

Quatuor denique aves, Pavo ſcilicet, Gallus, Aquila, & Anas, quas in hujuſmodi teſſellato opere diſpoſitas videre eſt, quatuor pariter indicant elementa, ex quibus reliqua omnia corpora componuntur; quibus ingenerandis, de Ariſtotelis ſententia, vim ſol ipſe ſuam pariter exhibet. Atque in primis Pavo quidem, quam poetæ Junonis tutelæ aſſignarunt, (Junonem autem unam eandemque cum Terra fuiſse habitam, docet Macrobius *) hujuſmodi indicat elementum. Gallus præterea, *venturæ lucis prænuntius*, quem Soli veteres ſacraſse innuit Pauſanias, * dum ait: *Gallinaceum Soli ſacram avem celebrant, quod cantu Solis reditum nunciet*: quum calidum & igneum animal eſse appareat, igneum pariter Solis globum, ſeu verius ipſum ignis elementum præſeferre videtur. Aerem præterea in Aquila quis neget exhiberi? hæc enim avium omnium una adeo ſeſe attollit, ut aerem ipſum prætervolare videatur; hinc ad rem Bartholomæus Anglicus *: *Levat ſe Aquila pluſquam alia volatilia*. In Anate denique aquatili volucre omnes aquæ elementum agnoſcunt.

Columba ſane, quam Æneas apud Vergilium, * *Maternam* appellat *avem*, Venerem deſignari, nemo eſt quem lateat; quæ quidem Dea una eademque cum natura omnium parente, rerumque opifice, habita fuit; quam veteres ſibi perſuaſerant divinam illam eſſe vim genitricem, ſeu ingenitam virtutem, ac potentiam, quæ rerum omnium procreationem eorundem elementorum miſtura perficiat, ſecundum Lucretii *, atque Orphei * ſententiam. Vel illud denique affirmare auſim, album nigrumque hujuſce pavimenti colorem eo valere, ut duo-

* *Rer. antiq. Lib. 3. cap 5. p. m. 98.*
* *De Iſid. & Oſirid. edit. Lutet. Pariſ. 1624 p. m. 362. T. 2.*
* *Lib. 1. Saturnal. cap. 21.*
* *Lib. 2. Eleg. 1. verſ. 41.*
* *Deipnoſoph. lib. 11. cap. 8. edit. Lugd. 1657. p. m. 476.*
* *Ibid. lib. 2. c. 2 p. m. 38.*
* *Hymno in Baſſ. Patr. ver. 1. edit. Traject. 1689. p. m. 142. Necnon Hymno in Trien. Patr. ver. 2. p. 148.*
* *Lib. 4. Coronar. cap. 21.*
* *ἐν Τυρῷ.*
* *In Ranis: ver. 360. Nec non apud Suidam legere eſt, in voce* Ταυροφάγον.
* *Lib. 1. Saturnal. cap. 18.*
* *In Phænom. ver. 71. Extat inter opera Hygini edit. Baſil. 1570. p. m. 203.*
* *Lib. 3. Satur. cap. 4.*
* *Eliacor. prior. ſive Lib. 5. cap. 25.*
* *De proprietat. rer. Lib. 12. cap. 1.*
* *Lib. 6. Æneid. v. 193.*
* *De rer. nat. Lib. 1.*
* *Hymno in Div. Vener. edit. Trajecti 1689. p. m. 150.*

duodecim lucidas horas, totidemque tenebrosas indicet, in quas naturalem diem dividere olim placuit.

TABULA XXI.

ET in hoc altero, emblemate pariter elaborato, pavimento est quod spectemus: inter pinnata itaque folia, atque encharpos, qui miro artificio, atque elegantia inter se innexi, atque impliciti, Tabulæ sunt ornamento: stat medius Hercules, qui Centaurum quemdam, barba arreptum, elata in eum clava, jam jam letho daturus est. Hinc vero, indeque quatuor aves videre est; Noctuam scilicet, Columbam, Gallum, & Aquilam.

Alterum ex tribus in Cœlio monte repertis pavimentum, in quo Hercules cum Centauro spectatur.

Quod ad Herculis pugnas cum Centauris attinet videndi Mythologi: Hyginus * quidem hæc habet: *Hercules quum in hospitium ad Dexamenum regem venisset,* (Oeneus est aliis) *ejusque filiam Dejaniram deverginasset, fidemque dedisset, se eam uxorem ducturum; post discessum ejus Eurytion, Ixionis & Nubis filius, Centaurus, petit Dejaniram uxorem: cujus pater vim timens, pollicitus est se daturum. Die constituto venit cum fratribus ad Nuptias. Hercules intervenit, & Centaurum interfecit, suam speratam abduxit.* Etsi hæc alii aliter narrant, uti apud Lactantium Placidum * videre est. Albricus vero Philosophus * aliud ejusdem Herculis illustre in Centauros facinus memoriæ prodit: *Prima igitur ejus* (nempe Herculis) *victoria notabilis fuit; quando in nuptiis* (scilicet Pirithoi) *Centauros ibidem existentes, & inebriatos, qui dominas invitatas* (uxores Lapitharum) *volebant violenter opprimere, clava pro majori parte mactavit, unde reliqui timore perculsi fugerunt.*

* *In Lib. Fab. Cap. 33. qui extat in Mythograph. Lat. edit. Amst. 1661. Tom. 1. p. m. 80.*

* *In narrat. fab. Lib. 9. fab. 1. extat ibid. Tom. 2. pag. m. 253.*

* *In Libello de Deor. imag, qui extat ibid. cap. 22. p. 324.*

Centaurorum sane nomine vitium veteres intellexerunt, quod virtus una, quam Hercules designat, debellare ac profligare valet: quatuor vero, quæ circumstant, aves, præcipuas nobis innuunt virtutes, quarum opera vitia potissimum delentur. Noctua siquidem sapientiam indicat, ac prudentiam: morum vero integritatem, simplicitatem, amorem, animique candorem Columba designat: Gallus insuper, nocturnus vigil, quem excitandis a somno in opera mortalibus genuisse providentia divina videtur; quid aliud nos admonet, nisi vigilantiam? Robur denique Aquila nobis innuit; non illud quidem corporis, sed animi; qui illo sane munitus humana quæque despicit, ac pro nihilo ducit; omnesque ad virtutem comparandam vires intendit.

TABULA XXII.

HAud absimile allatis est, quod hac in Tabula exhibemus, pavimentum, tessellato pariter emblemate stratum: quod sane una cum duobus proximis ad Ædes S. Stephani vulgo *Rotundi*, paucis ante annis, investigantibus sese aperuit. Gorgonis sive Medusæ caput abscissum hic effictum cernere licet, quod quidem prosperum amuletum esse, sibi veteres persuaserant; eoque Minervam thoracem clypeumque exornare consuevisse omnibus patet: Hinc est, quod passim cum Ægide illa nobis occurrit, ejus peculiari clypeo; in cujus medio Medusæ Gorgonis caput, serpentibus vice crinium terribile, quod qui intuebantur, mox in lapides vertebantur. Hinc etiam est, quod ab Orpheo * γοργοφόνε, scilicet *Gorgonitrucida*, appellata est. Qua ex re hujusmodi subterraneum conclave huic Deæ, sicuti ex proximis alterum Baccho, alterum Herculi fuisse dicatum, haud absurdum esset affirmare.

Tertium ex allatis Pavimentum, in quo Gorgonis, sive Medusæ caput abscissum cernitur.

* *Hymno in Minervam vers. 8. Edit. Trajecti 1689. p. m. 128.*

Jam vero Medusam *Providentiæ* titulo fuisse donatam, patet ex aureo quodam Septimii Severi numismate, minime obvio; quod inter Petri Seguini * selecta numismata exstat: fortasse, ut ille observat, quod Pallas, prudentiæ, & providentiæ numen, gestet in pectore Medusam cum Ægide. Verum præter illum, & alio *Salutis* titulo gavisa est, quam alæ, serpentesque designant: alæ namque celeritatem indicant in agendo, impartiendoque mortalibus vitam, cujus serpentes symbolum esse, neminem latet: ex qua sane salus omnis, incolumitas-

* *In Sel. numism. Imp. n. 19.*

tasque in homines derivatur: isthoc pol, quod faustum omnibus, felixque esset, Medusæ caput hoc in pavimento ex coagmentatis tessellis constructum dixerim.

TABULA XXIII.

Tessellatum aliud pavimentum, Mevaniæ, quæ Umbriæ civitas est, repertum, cum Sirenis, Delphinis &c.

NEque hoc prætereundum tessellatum pariter pavimentum, quod quodam in conclavi, quum terra effoderetur, Mevaniæ, quæ Umbriæ civitas est, repertum accepimus: in uuo sane præter alteram ex Sirenibus, ac Delphinos nonnullos, quasdam conspicimus Locustas. Sirenas autem Poetæ tres fuisse fabulantur, Acheloi fluminis, & Melpomenes, sive Calliopes filias, quorum nomina fuerunt Parthenope, Ligia, & Leucosia; sursum quidem versum virginea forma, postrema corporis parte pisces; voce, cithara, ac tibiis tam blande canentes, ut cantus dulcedine nautas sopirent, sopitos demergerent, demersos etiam devorarent. Servius * de illis hæc habet: *Sirenes secundum fabulam parte virgines fuerunt, & parte volucres, Acheloi fluminis, ac Calliopes Musæ filiæ: harum una voce, altera tibiis, altera lyra canebat.* Neque Servius dumtaxat, sed quam plurimi in ea fuerunt sententia, uti Sirenas superne quidem formosas virgines, inferne vero volucres crederent; & revera Euripides, Claudianus, Plinius, & Hyginus ea prorsus forma præditas nobis depingunt. Quibuscum facit Ovidius, dum ait: *

** Ad vers. 684. Lib. V. Æneid.*

** Met. Lib. 5. v. 552.*

. . . . . Vobis, Acheloides, unde
Pluma, pedesque avium, quum virginis ora geratis?

Licet alias Ovidius idem ab hujus pavimenti auctore minime discrepare videatur; quum illas inter maris monstra recenset; hæc enim habet: *

** Lib. 3. de art. aman. v. 311.*

Monstra maris Sirenes erant, quæ voce canora
Quaslibet admissas detinuere rates.

Hujusce porro Sirenis caput herbacea redimitum corona apparet, ipsa vero juncum quemdam dextera gerit, lævamque admiranti similis expandit. Sirenem præterea Apollini sacram fuisse de Apollonii Tyanæi sententia Philostratus * memoriæ prodidit. Quin Pausanias * auctor est, apud veteres, Poematum sermonumque quorumvis efficacem ad suadendum venustatem assimilatam Sirenibus; indeque Sophoclem appellatum *Sirena*. Quemadmodum & Val. Cato propter suavitatem carminum a veteri Poeta *Latina Siren* dictus est, ut Svetonius * refert.

** In ejusd. Apollonii vita.*
** In Atticis sive Lib. 1. c. 21.*
** De illust. Gram. cap. 11.*

Cato Grammaticus Latina Siren.

Hinc in Isocratis sepulchro Siren posita fuit, tanquam perfectæ, & efficacissimæ eloquentiæ symbolum, de quo laudatus Philostratus. *

** In Sophistis in Vita Isocratis.*

Delphinus pariter, qui velocissimum est omnium animal, velocitatem, marisque imperium apud veteres innuebat; qui & illum non tantum Neptuno, sed Baccho etiam, atque Apollini sacrum esse arbitrabantur. Apollini quidem, quod se aliquando in Delphinum induerit; Baccho vero, quo palam omnibus fieret, maris aqua vinum veteres condire consuevisse; quemadmodum Plinius, * Dioscorides, Columella, atque Athenæus literis prodiderunt: quorum postremus illam Bacchi fabulam, Gigantum timore ad mare aufugientis, hoc pacto interpretatur * Ἔνιοι δὲ καὶ τὴν Διονύσου φυγὴν εἰς τὴν θάλασσαν οἰνοποιΐαν σημαίνειν φασὶ, πάλαι γνωριζομένην· ἡδὺν γὰρ εἶναι τὸν οἶνον παρεγχεομένης θαλάσσης. *Fugientis ad mare Bacchi fabula quidam vini condituram significari putant, jam olim cognitam, quoniam affusa maris aqua vinum suavius est.*

** Natur. hist. lib. 14 cap. 7. & 8.*
** Deipnos. lib. 1. cap. 20. edit. Lugd. 1657. p. m. 26.*

Quod autem ad Locustas & Polypos attinet, hæc animadvertit Valerianus *: *Quod si hominem Ægyptii municipii sui longe principem, sed tyrannica in cives potestate utentem, notare vellent, Polypum, & Locustam adpingebant: Locustæ siquidem dominationem videntur in Polypos exercere, primasque inter eos obtinere partes; ut apud Horum * legitur.* Licet Aristoteles aliam tueatur sententiam *. *Locustas*, præterea, *veris principio senectutem, anguium more, exuere, renovatione tergorum*, docet Plinius *. Itaque eas una cum Delphino ac Sirene, inter salutis, atque Apollinis symbola recensere haud esset absurdum; licet rectius ad Neptunum spectare videantur.

** Hieroglyphyc. lib. 23. cap. 20.*
** In Select. hieroglyphyc. 101.*
** Lib. 8. histor. animal. cap. 23.*
** Natur. hist. lib. 9. cap. 30. sect. 50*

Fo-

Foramen denique illud in medio pavimenti, evitandis de conclavi aquis patefactum apparet.

TABULA XXIV.

IN ipſis Decii Imperatoris ædibus, vetuſtate jam funditus collapſis, ad templum S. Laurentii in Paniſperna, hujuſmodi, quod omnium noviſſimum exhibemus, pavimentum repertum conſtat; cui e marmore inſculptos adoleſcentes quoſdam conſpicimus; quorum alios vitem quandam ſcalis jam inſcendiſſe apparet; alios ſub ipſa ſtantes videre eſt; manu uvarum racemos gerentes; quorum alteri puer quidam ſeſe manibus implicat. Hujuſmodi autem pictura quum vindemias aperte præſeferat, nihil eſt, quod in ea explicanda plurimum elaborem.


Noviſſimum omnium Pavimentum ad templum S. Laurentii in Paniſperna, cui e marmore inſculpti adoleſcentes, qui vindemias agunt.


Atque hæc de quibuſdam Veterum Tabulis habuit quæ diceret Michael Angelus Cauſeus *De-la-Chauſſe* Pariſinus; nunc vero ad Picturas antiquas Sepulchri Naſoniorum explicandas gradum facimus.

Explicit Pars Prima.


INDEX TABULARUM.


3
TABULA·I·


TABULA·II·
Mensura veterum palmorum
palmi XL
palm XV
Monumenti ostium




TABULA III.
Latera Sepulcri quibus decoretur ornamentis.



TABULA IV.
Quæ picturæ, et ornamenta adsint in monumenti capite.



TABULA·V·



TABULA·VI·




TABULA VII




TABULA VIII





TABULA IX.



TABULA X.





TABULA·XI·



TABULA·XII·





TABULA·XIII·



TABULA·XIV·



TABULA·XV·




TABULA·XVI·



TABULA·XVII·



TABULA·XVIII·






TABULA XIX.



TABULA XX.






TABULA·XXI·
Apsidis ornamenta.



TABULA XXII



TABULA XXIII



TABULA XXIV·



TABULA XXV·



TABULA·XXVI·



TABULA·XXVII·




TABULA XXVIII.



TABULA XXIX.







TABULA·XXX·



TABULA·XXXI·




TABULA XXXII



TABULA XXXIII



TABULA XXXIV.



TABULA XXXV.



VETERUM PICTURÆ SEPULCRI NASONIORUM

Explicatæ, atque animadverſionibus illuſtratæ

A

JOHANNE PETRO BELLORIO.

VETERUM PICTURÆ SEPULCRI NASONIORUM

Explicatæ, atque animadverſionibus illuſtratæ

A

JOHANNE PETRO BELLORIO.

OPERIS PRÆFATIO.

Non æque Pictorum ac Sculptorum veterum opera ad noſtram ætatem pervenerunt.



Aud levis ſane jactura ducenda eſt, quod ad ætatem noſtram non æque Pictorum ac Sculptorum & Statuariorum eximia pervenerint opera; neque contingat nobis hodie videre Apellem, Zeuxim, Parrhaſium, & Timanthem; ut Apollonium, Agaſiam, Glyconem, Cleomenem ſumma animi admiratione Romæ conſpicimus, plurimoſque alios, qui ex illuſtrioribus Athenarum & Græciæ ſcholis prodierunt. Nimirum tot incendiis & ruinis ita prorſus interierunt, & abſumta ſunt præclara illa Picturæ decora & ornamenta, ut nihil præter ſui deſiderium nobis reliquerint; eorumque dumtaxat memoria in Veterum ſcriptis & monumentis ſuperſtes exiſtat, quam certe nulla umquam delebit oblivio. Quare, ſi quis de Veterum Picturæ præſtantia judicium ferre voluerit, illarum ſane ſtatuarum, quæ noſtro adhuc tempore ſuperſunt, artificio eam metiatur, oportet; quæ quidem priſcorum artificum ſummam induſtriam, ingeniumque ſummum abunde declarant.

Pictura, & Sculptura arcto quaſi neceſſitudinis vinculo colligantur.

Pictura enim & Sculptura, quum utrique prima illam & rudem formam delineatio inducat, tam arcto quaſi neceſſitudinis vinculo, quod ad ſtudium, judicium, & ingenii vim attinet, colligantur, ut, ſi ſolam marmoris & coloris differentiam tollas, in reliquis omnibus amiciſſime conſpirent, & copulentur, atque una tantum ars videantur, eodem quaſi ingenii humani partu editæ, & ad eumdem finem omnia referentes, nimirum ut naturam imitentur artificioſe. Hinc mirum non eſt, duas has artes, ſive illarum ortum, ſive interitum ſpectes, ſive denique, quum in lucem redierunt, eadem fata eaſdemque viciſſitudines ſemper expertas eſſe pro temporum ac morum ratione; ita ut ab utraque eadem exempla, & ſimilia prorſus documenta peti poſſint.

Aliquæ veteris Picturæ adhuc ſuperſunt reliquiæ.

Quamvis autem Veterum Picturæ ne reliquiæ quidem noſtra memoria ſuperſint, quæ priſcorum Sculptorum operibus conferri queant; non tamen credendum eſt, ita omnia oblivionis tenebris involuta & quaſi ſepulta jacere, ut ne ulla quidem priſtinæ lucis ſcintillula nobis relicta fuerit.

Laus Raphaelis Urbinatis.

Certum enim eſt, Raphaelem Urbinatem, hodiernæ Picturæ reſtitutorem & principem, nonnullas hujus generis reliquias, in ruderibus & ruinis inventas, in lucem revocaſſe, ad quarum imitationem cum in pingendo ſtudioſe ſe componeret, artem hanc ad ſummam elegantiam & perfectionem, ad quam veteres Græci eam perduxerant, & a qua ante ipſius ætatem longe aberat, excoluit.

Picturæ in Thermis.

Is primus oculos ſuos conjecit in veſtigia picturarum antiquarum, quæ Romæ in Titi ac Trajani thermis, necnon in celeberrima Hadriani villa, quæ Tibure eſt, uti & in Neapolitanis & Puteolanis Cryptis ad ipſius uſque ætatem permanſerant. Imo fama eſt, eum in Græciam miſiſſe homines pingendi peritos, qui illorum operum reliquias colligerent, quæ Græcis immortalem gloriam pepererunt. His pariter veſtigiis inhærentes Julius Romanus, Polydorus, & Johannes Utinenſis, magnum ſibi hac in arte nomen compararunt, quorum poſtremus in Vaticanas Porticus rariſſima quæque Tiburtinæ Villæ ornamenta tranſtulit; eodemque pacto reliqui Diſcipuli egregium prorſus & laudabile magiſtri ſui Raphaelis exemplum ſectati ſunt; qui ſane in Vaticanis Ædibus æternitate digna exempla eximiæ Picturæ, qua Veteres excelluerunt, nobis reliquit; &, ſive coloris præſtantiam ſive ipſum efformandi artificium ſpectes, admirabilem illam Zeuxis, Parrhaſii, & Apellis artem veluti in lucem denuo revocaſſe videtur.

Quid cauſæ ſit, cur pauca reperiantur veteris picturæ veſtigia.

Ceterum perſuaſus ſum, ſi in eruendis ex humo Veterum picturis eadem, quæ in quærendis ſtatuis & marmoribus, poneretur opera & ſtudium, nos plura ſa-

*ſane hujus generis reperturos eſſe monumenta, ex quibus priſcorum hominum in hac arte præſtantia multo clarius perſpici poſſet. At vero, quod nunc ejuſmodi monumentis careamus, id inertiæ noſtræ ac negligentiæ, necnon foſſorum vitio adſcribi poteſt, qui dum avidius, minus tamen conſiderate lapides aliaque fragmenta e terra extrahunt, optimas antiquitatis reliquias in fruſta aliquando comminuunt. Qui ſane abuſus ne longius ſerperet, peculiari cavit edicto * Clemens XI. quod Johannes Baptiſta Spinula, S. R. E. Cardinalis Camerarius, veterum monumentorum ſtudioſiſsimus, promulgandum curavit prid. Kal. Oct. MDCCIV. Quo quidem edicto, ne Veterum picturæ ac emblemata, necnon anaglypha, marmorata pavimenta, inſcriptiones, aliaque hujuſmodi in peſſum eant, eorumdem conſervationi optime proſpicitur; quin dominis fundorum, in quibus illa fuerint reperta, aliiſque interdicitur, ne eadem omnia lædi aut demoliri audeant inſcio atque inconſulto Inſpectore, qui hiſce rebus præerit. Atque hoc ſane pacto Veterum monumenta ſarta tecta ſe poſſe præſtare ſibi perſuaſerat Pontifex Optimus Maximus, quibus urbs Roma exornata priſtinam dignitatem aliqua ratione recuperaret; atque exteri, qui in diem veterum Romanorum ſuperba monumenta ſpectatum in Urbem ſe ſe conferunt, in ipſis terræ viſceribus priſcæ magnificentiæ reliquias paſsim offendant, atque in admirationem excitentur. Verum inſtituti noſtri memores, ad Sepulcrum Naſoniorum tandem accedamus, quod illuſtrare & explicare nobis eſt propoſitum.*

* *Exſtat inter ejus opera edit. Rom. 1729. Tom. 1. pag. 742.*

ANIMADVERSIONES

AD

VETERUM PICTURAS SEPULCRI NASONIORUM

TABULA I. II. III. IV.

Sepulcri Naſoniorum Præconium.

QUi Romam triumphantem, ac florentem quondam viderunt, merito Urbis amplitudinem & magnificentiam admirati ſunt; quippe quæ Urbs Deorum, Templum, & mundi Miraculum jure appellata eſt. Nos enim, qui ejus ruinas contemplamur, in admirationem adhuc rapiunt cineres & rudera; dum ne in ipſius quidem Buſtis & Sepulcris illius memoriam deleri poſſe animadvertimus, cui *Æternæ* & *Immortalis* cognomen inditum accepimus. Verum inter ejus Buſta ac Sepulcra omnium celeberrimum elucet *Naſoniorum Sepulcrum*; ſi ſepulcrum appellandum videatur adeo illuſtre monumentum, & non Muſeum potius, ac veluti Deorum Manium Parnaſſus. Sive enim in picturæ elegantiam, ſive in ipſas imagines penicillo expreſſas, ſive in ejus Poetæ memoriam oculos intendas, qui Apollini & Muſis adeo cordi fuit, funeſtum hoc antrum, horrore diſcuſſo, non atra & ferali cypreſſo inumbrari, ſed immortalis lauri frondibus effloreſcere, & lætis potius cantibus, quam querulis vocibus perſonare videtur. Nimirum hoc in monumento Sulmonenſis Poeta Ovidius Naſo exhibetur, quem ſuaviſſima ejus Erato comitatur, quæ ſane jucundo citharæ cantu illorum carminum ſuavitatem præſeferre videtur, quæ vel ferociſſimos Tomitanos, & maxime barbaros Ponti accolas demulcere valuerunt. Verum ad celeberrimi hujuſce Monumenti imagines, quæ his in paginis delineatæ apparent, ordine explicandas, aliquando properemus; & Muſas ipſas ad Vatis ſui exequias vocemus.

Veteres in viis publicis ſepulcra exſtruebant.

Veteres ſepulcra & monumenta ſuorum non ſolum privatis in locis, ſed etiam in viis publicis extruere conſueverunt, ut tranſeuntibus, & iter facientibus, quos legerent, defunctorum tituli, & elogia in promtu eſſent; iidemque mortuis quietem, terramque levem, quæ illorum cineres tegebat, beneprecarentur. Harum autem viarum celebriores exſtiterunt Aurelia, Oſtienſis, Appia, Latina, Lavicana, Præneſtina, & Salaria, in quibus adhuc exſtant lacera ſepulcrorum antiquorum veſtigia & rudera. Inter eas autem omnes vel maxime conſpicuam fuiſſe viam Flaminiam, neminem latet; nam, præterquamquod plurimæ adhuc inſcriptiones, ac ſepulcrorum reliquiæ in ea ſuperſunt, paſſim hoc idem innuunt Auctores. Atque in primis Juvenalis *, vitia hominum tunc temporis viventium per-

* *Sat. 1. Lib. 1. in fi ne.*

perſtringere timens, ſtylum in mortuos acuit; ſibique, quos inſequatur, Romanos in via Flaminia ac Latina ſepultos proponit:

...... Experiar, quid concedatur in illos,
Quorum Flaminia tegitur Cinis, atque Latina.

Apud Martialem præterea Paridis Pantomimi, Neronis liberti, Epigramma legere eſt; * cujus quidem ſepulcrum non ſecus ac Glauciæ pueri, cujus acerbo interitu Roma univerſa mœrore affecta eſt, in eadem via Flaminia extructum ſcimus; atque hujuſce ſane rei idem Poeta *, uti & Statius * mentionem faciunt:

* *Lib. 11. Epig. 12.*
* *Lib. 6. Epig. 28.*
* *Sylv. Lib. 2. in Glauc. verſ. 176.*

...... Plebs cuncta, nefas, & prævia flerunt
Agmina, Flaminio quæ limite Milvius agger
Tranſvehit, immeritus flammis dum triſtibus infans
Traditur.

In Via Flaminia trans Milvium Pontem hujuſmodi ſepulcrum repertum.

In eadem itaque Via Flaminia trans Pontem Milvium in bivium ſeſe via pandit, cujus quidem pars altera, eaque ſiniſtra, eſt Via Claudia, quæ ibi a Via Flaminia deflectere incipit: altera eſt ipſa Flaminia, quæ primo aſcendens, deinde deſcendens ad prata Turris Quintiæ, & ad Aquæ Tranſverſæ Rivum, haud illinc longius ad rupem, vulgo *Cryptam Rubram*, olim *ad Rubras*, deducit; quæ ſane rupes ibi initium habet, circiter milliare & dimidium a ponte diſtans, & læva ex parte Viam eamdem objectu ſuo tegens. Hic vero quædam veteris ergaſtuli veſtigia agnoſcere cuique licet, in plures cavernas in topho excifi. Quum autem anno MDCLXXIV. Via Flaminia reficeretur, ut iis, qui Romam de more tenderent, commodiori uterentur itinere, (anno enim proximo ſecularis annus Chriſtianus Romæ celebrandus erat) contigit, ut ineunte ſequentis anni vere, ſive menſe Martio, cæmentarii latus rupis, quæ haud procul aberat, cædentes, ut inde ſaxa aliamque materiam muniendæ viæ idoneam deportarent, de improviſo ſonitum ex rupe redditum exaudirent; nihilo tamen ſecius ab opere ceſſantes, foramen in cameræ cujuſdam fornice aperuerunt, in quam quum illico deſcendiſſent, domum quamdam ſubterraneam offenderunt, opere tectorio picturiſque pulchre exornatam, adeo ut illi admiratione ſpectaculi obſtupuerint, in quod præter omnem opinionem inciderant. Id *in Tabula I. n.* 1. videre eſt, quæ exteriorem rupis faciem, & quonam pacto hujuſcemodi monumentum fuerit repertum, delineatum exhibet. Invenerunt autem ibi duos ſarcophagos ſive arcas ſepulcrales ex marmore Tiburtino, magnitudini & menſuræ corporis humani reſpondentes; ſed adeo terra obrutas, limoque coopertas, ut dignoſci vix poſſent; idque ea de cauſſa, quod ex aquis, paulatim per rimas & poros tophi penetrantibus, lutum fuerat collectum, quod tandem diuturnitate temporis duritiem contraxerat, & eò altitudinis excreverat. Arcæ præterea plumbo erant obductæ, & ferreis laminis occluſæ de more veterum, qui defunctorum oſſa cineresque in ſarcophagis & urnis religioſe cuſtodire conſueverunt. Cæmentarii autem theſauros intus abditos eſſe, pæne pro certo habentes, illico auri cupiditate cæci, plumbi ferrique laminas, necnon arcæ operculum ex marmore confregerunt; quo facto, quum nihil ibi præter terram & laceras oſſium reliquias inveniſſent, egregie ſe deluſos intellexerunt.

Quædam Veteris ergaſtuli veſtigia.

Quonam pacto ſepulcrum hoc fuerit detectum.

Quid in illo inventum.

Ichnographia Sepulcri.

In hoc inſuper monumentum ad rupis radices aditus patet, ſupraque Viæ Flaminiæ latus, ubi antiqua illius janua ſita eſt; uti ex eadem Tabula I. *n.* 2. atque ex Tabula II. Ichnographiæ *n.* 1. apparet. Janua Orientem ſpectat quadrata forma, in ſolido ſaxo exciſa, poſtibuſque e Tiburtino marmore firmata, ſeptem palmos alta, quinque & dimidium lata; quæ quidem poſtes etiamnum ibi conſpiciuntur. Præterea ſepulcri frontem quatuor ex Corinthio ordine columnæ paraſtaticæ atque encarpi (quoddam ornamenti genus eſt) in eodem ſaxo exciſi exornabant; quarum ſane columnarum veſtigia adhuc ſuperſunt; Columnas autem ipſas unà cum reliquis ornamentis cæmentariorum incuria evertit, quum ab illis terra, qua ipſæ obrutæ & opertæ erant, effoderetur. Eadem vero Sepulcri frons ea propemodum forma, qua olim, *Tab. I. n.* 3. exhibetur. Ceterum ſuperum januæ limen nonnihil altiùs ſubductum fuit, quum ibi clathratam fene-

ſtram, quæ monumento lumen daret, patefacere decretum eſt. Ex quo facile intelligi poteſt, quum hujuſmodi ſubterranea Domus tenebris offuſa, & luci diurnæ inacceſſa fuerit, imagines ejus ad lucernam, ut ita dicam, fuiſſe lucubratas.

Tota inſuper monumenti capacitas, unà cum fornice, inſtrumento fabrili excavata eſt in hoc ſaxo, eique tectoria ex gypſo inducta. Longitudinem ejus quadraginta fere palmorum, latitudinem vero viginti, Ichnographia (Tab. II.) declarat. Teſtudo vero ejus eſt altitudinis, quæ a longitudine & latitudine minime diſcrepet.

Quid exiſtat in ejuſdem lateribus.

Jam vero in ſingulis hujus ſepulcralis domus lateribus dextera & ſiniſtra ternos videre eſt loculos, in quibus apud Veteres defunctorum cadavera condere in more poſitum fuit, ut ex Ichnographia patet, *Tab. II. n.* 2., & *Tab. III. n.* 1. in qua pars parietis alterius lateris ſepulcri exhibetur. Quibus ſane loculis variæ depictæ fabulæ peculiari ſunt ornamento. Aliuſque loculus præter eos in hujuſce monumenti capite, atque e regione januæ ſeſe offert conſpiciendum. (*Tab. IV.*)

Quid in Capite.

Diviſiones, & Picturæ, quæ in Sepulcri lateribus exiſtunt.

Quiſque autem loculus, ſeptem palmorum longitudine ſolido in ſaxo exciſus, ad quatuor ſupra decem palmorum altitudinem, novem vero palmorum latitudinem extructus eſt; omnibuſque ſuperiori in parte gypſea ejuſdem generis ornamenta, atque encarpi additi apparent. (*ut in eadem Tab. III. n.* 2.) Eoſdem denique quadrata fere forma conſtructos dixerim; niſi quod ſuperior pars in arcum curvatur. Neque inter ſe contingunt loculi, ſed paribus ſunt intermiſſi ſpatiis; quin binos inter loculos binæ interjectæ paraſtaticæ columnæ aſſurgunt, capitula corinthia gerentes ex gypſo, cærulea in area, flavo autem colore diſtinctæ. (*n.* 3.)

Quibus ſane intermedius Juvenis quidam, ſive Genius, integræ ſtaturæ, florum calathum læva detinens, rubra in area depictus conſpicitur. (*n.* 4.) Stat ille, ſtatuæ cujuſdam inſtar, quadrilatero in ſpatio veluti erectus: frondibus illius caput redimitur: corpus vero una dumtaxat chlamis, variis diſtincta coloribus, ſuperne obtegit. Primum hunc loculorum ordinem, ea, qua dictum eſt, ratione diſpoſitum, coronis ex gypſo ſuperiori in parte exornat; in qua exiguæ Monſtrorum marinorum ac Sirenum figuræ exhibentur, quæ caudas, quibus piſces imitantur, ſibi invicem obvertunt. (*n.* 5.) Quem ſane ordinem ſuperior alter excipit, non loculis, ſed ſpatiis minoribus, quæ varias depictas exhibent fabulas, diſtinctus. Singulis in lateribus quinque inſunt fabulæ (*n.* 6.) interjectis pariter paraſtaticis columnis corinthiis, cum aligeris Cupidinibus rubra in area, qui manibus patinas & calathos florum geſtant, ut in eadem Tabula videre eſt; (*n.* 7.) in qua pariter ornamentum illud ſuperius cernitur, quod ad aliam coronidem pertingit, a qua curvatio teſtudinis initium capit. (*n.* 8.) Candidum denique teſſellati pavimenti emblema nigris diſtinctum eſt lineis, ita teſſellas percurrentibus ac ſecantibus, ut rhomborum geometricorum formam effingant; quorum ſingulis floſculus perbelle inſertus eſt itidem niger candida in area, ut eadem Ichnographiæ Tabula II. (*n.* 3.) adumbrat.

Pavimentum ejuſdem.

Antequam vero ſuperiorem cameræ teſtudinem, quibuſque exornatur, imagines exponere aggrediamur, in loculorum depictas fabulas oculos intendere abs re non videtur. Atque in primis Sepulcri Titulum, nomenque Patrisfamilias, cui illud erectum fuit, expendere operæ pretium ducimus; quum inſcriptio, ſive lapis ſepulcralis marmoreus, & loculi primarii pictura egregiam hac de re diſſerendi materiam nobis præbeat. Quem ſane loculum, in ſepulcri capite, ſive e regione januæ exciſum, exhibet Tabula IV. & V. (*n.* 1. & *ſeqq.*) In eis itaque Ovidii nomen & imago ab oblivionis tenebris incolumis conſervatur; quæ ſane, tamquam præcipuum monumenti hujus ornamentum, omnium prima in ipſo hujus monumenti aditu ſpectantibus ſeſe offert. Subjecta vero Inſcriptio eodem in loculo ſub ipſa pictura effoſſa eſt; atque, ut omnibus patet, Quinti Naſonii Ambroſii, & Naſoniæ Urbicæ, uxoris ejus, mentionem facit. Quo ſemper magis, quæ diximus, quæque attulimus, majoris apud omnes ponderis eſſe deberent.

De Sepulcri titulo.

D. M.

D. M.
Q. NASONIUS. AMBROSI
US. SIBI. ET. SUIS. FECIT. LI
BERTIS. LIBERTABUSQUE
NASONIÆ. URBICÆ
CONIUGI. SUAE. ET. COL
LIBERTIS. SUIS. ET
POSTERISQUE. EOR

Lapis Sepulcralis sub pictura in capite sepulcri effossus.

TABULA V.

Loculus depictus in ipso Sepulcri capite, sive e regione januæ, in quo Ovidii imago, una cum Mercurio, & Musa Erato, & conjuge Perilla.

IN interiori loculi parte Poetæ cujusdam imago laureata conspicitur, (*n.* 2.) qui sane in Mercurium oculos intendens, colloquenti similis, porrecto indice, ad eum lævam protendit, speciemque præbet preces vel carmen recitantis, quò deum hunc propitium sibi reddere valeat. Veteres enim, imperium & potestatem in umbras, sive defunctorum animas Mercurio datam esse, sibi persuaserant. Ei exadverso stat Mercurius, (*n.* 3.) ac dextera caducœum detinens, lævam paululum expandit; & vatem intuens, ad ejus verba & carmina animum advertere videtur. Caput ejus de more alatum est: corpus nudum, cui tamen chlamys cærulea injecta est, quo quidem habitu Deus iste depingi consuevit; ut aerea ejus natura, e cœlo ad terræ centrum, sive a Superis ad Inferos frequenter commeantis, adumbretur. Poetæ vero caput lauro redimitur, & coloris flavi pallio amictus, quod circa sinum complicatur, manum & brachium dimidia parte nudum extendit; cetera enim tunica violacea operit. Dextrorsum sedet Musa, (*n.* 4.) quæ dextera citharæ imposita, lævaque in femur reclinata, tibiam seu tubam longam, tres claviculas habentem, detinet. (*n.* 5.) Cujus quidem tempora laureis frondibus ornantur; quumque reliquum corpus vestis rubra operiat, brachia tamen detecta apparent, armillis aureis præcincta, pallio flavo supra femur & crura expanso. Ponè Mercurium stat mulier quædam, (*n.* 6.) quæ violaceo amictu corpus caputque obnubit, sola facie, & altera manu exceptis.

Jam vero, si inscriptionem eodem in loculo inventam spectemus, Poetam Ovidium in omnium prima, quam innuimus, imagine agnoscimus. Cujus quidem facies dimidia, ac penitus rasa repræsentatur, de more seculi Augusti, quo barba radi solebat; ipseque togatus aspicitur. Quæ vero propter adstat Musa, Erato ipsi charissima esse videtur, cujus opem ita implorat *:

Nunc mihi, si quando Puer, & Cytherea favete,
Nunc Erato; nam tu nomen amoris habes.

** Lib. 2. de Arte amandi, Vers. 16.*

Metamorphoses Ovidianæ amatoriæ etiam dici possunt, quoniam de Fabulis amatoriis plerumque agunt. Plato * insuper eamdem Erato amantibus favere tradidit. Papinius Statius quoque Musam hanc ad colloquia nuptialia invitat *:

Hic Erato jucunda doce, vacat apta movere
Colloquia, & docti norunt audire Penates.

** In Phædro Edit. Henr Step. 1578 p. mihi 253. T. 3.*
** Sylvar. lib. 1. in Epithal. Stellæ, & Violantillæ. Vers. 50.*

Tibia longa præterea, tribus claviculis prædita, (*n.* 5.) quam læva detinet, haud dissimilis ei est, quæ in Caji Cestii pyramide depicta est; quamque ad funebria spectasse accepimus. Quod ad Mercurium inferum attinet, ejusque potestatem, quam in defunctorum animas illum habere veteres commenti sunt; eam nobis innuit Horatius *:

Tu pias lætis animas reponis
Sedibus; virgaque levem coerces
Aurea turbam, superis Deorum
Gratus, & imis.

** Lib. 1. Carm. Od. 10.*

Et sane Mercurius facilem sese Ovidio præbere videtur, eumque vel deduxisse, vel ad Elysia jam jam deducturus; in quibus Poetarum animæ, quum ex corpore migrassent, de priscorum hominum sententia vitam agebant beatissimam, omnique gaudiorum & voluptatum genere affluentem. Sicuti Vergilius de Orpheo, Mu-

** Lib. 6. Æneid. Verſ. 639.*

Muſæo, aliiſque Poetis ſcriptum reliquit *; quos Æneas, quum Inferos adiiſſet, cantibus & choreis vacantes, plectrumque & lyram pulſantes offendit:

Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Necnon Threjicius longa cum veſte Sacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum;
Jamque eadem digitis, jam pectine pulſat eburno.

Reliquum nunc eſt, ut de Mulieris alterius effigie, (*n.* 4.) quæ amictu violaceo cooperta eſt, verbum faciam. Eam Ovidii conjugem Perillam dixerim, quam ille mirifice dilexit, quamque ipſemet, ſingularis in eam benevolentiæ indicio, Poeſin docuit, ut ſuavius & conjunctius cum ea, eiſdem ſtudiis dedita, viveret. Illius vero habitus atque amictus is eſt, qui conſuetum animæ ornatum poſt mortem aperte indicet; ſic enim pingi conſueverunt; quemadmodum proxima in Tabula animadvertere licebit.

Quæ fuerit civium frequentia, hujuſmodi monumento invento.

Quum, monumento hoc invento, veterum hujuſmodi Picturarum fama atque imaginis Poetæ, (quæ ſane imago cujus eſſet, Naſoniorum inſcriptio indicare videbatur) Romam eſſet perlata; rumorque illico de Ovidio percrebuiſſet; haud ſecus, ac ſi Archimedis ſepulcrum Syracuſis eſſet inventum; plurimi eo tum nobiles tum plebeii, tum cives tum peregrini confluxerunt; plurimoſque dies Via Flaminia magna hominum frequentia celebrata eſt; quum pene omnes, ut ipſis tanti Poetæ imaginem & ſepulcrum oculis uſurpandi fieret copia, illuc ſe conferrent. Tanta eſt vis atque amor virtutis, tantoque omnes virorum, fama illuſtrium, monumenta videndi, ac titulos & nomina legendi deſiderio incendimur. Sic vel noſtra tempeſtate Neapoli Vergilii ſepulcrum peregrini inviſere ſolent; ad quod Silius Italicus tamquam ad templum olim ventitare conſuevit *. Et Patavii T. Livii monumentum maxima frequentia celebrari ſcimus. Sicuti & plurimorum aliorum ſimilia exempla poſſent afferri, quæ brevitati conſulendo hìc præterire liceat.

** Quod obſervat Plinius ſecund. lib. 3. ep. 7. Item innuit Mart. lib. 11. ep. 49.*

Quamvis autem prior hujus monumenti imago Poetam Ovidium fortaſſe exhibeat, non tamen ideo quiſquam hìc illius cineres conditos fuiſſe ſibi perſuadeat; namque in terris longiſſime inde remotis, Tomis nempe urbe Ponti, diem ille obiit ſupremum. Qua de re occaſione arrepta epitaphium Ovidii, prout illud ab Antonio Poſſevino * literis mandatum eſt, huc lubet adſcribere. Hic itaque ſcriptor, quum Poloni aliquando excurſiones ad Pontum Euxinum uſque feciſſent, eos inter antiquæ & celebris urbis rudera ingens Saxum reperiſſe tradit, in quo ſubjectum inſcriptum epigramma:

** In Hiſt. Famil. Gonzagæ. Lib. 8. ad An. 1581.*

Hìc ſitus eſt Vates, quem Divi Cæſaris ira
Auguſti, patria cedere juſsit humo.
Sæpe miſer voluit patriis occumbere terris,
Sed fruſtra: hunc illi fata dedere locum.

Idem præterea auctor, Polonos, hujuſmodi ſaxum reliquam inter prædam haud parvi ducentes, illud ſex bobus avexiſſe narrat, (tantæ erat magnitudinis); ſeque id vidiſſe Gneſnæ, unde Cracoviam deportandum erat, niſi mox inſecutus Regis Stephani obitus ſuſceptum conſilium fruſtraſſet. Ea autem horum verſuum ſententia eſt, quæ eoſdem alio ſane tempore ab eo, quum Ovidius e vita exceſſit, illius monumento appoſitos fuiſſe oſtendat.

Diſſeritur de Nominibus Familiæ Ovidiæ, & Naſoniæ.

Ceterum quoddam hìc ſeſe offert dubium, quod omnia, quæ de Ovidii Poetæ imagine hactenus dicta ſunt, evertere videtur. *Familia* enim *Naſonia*, quam Quinti Naſonii Ambroſii lapis ſepulcralis indicat, quem ſupra attulimus, cum hujuſce Poetæ *Familia Ovidia* minime facere videtur; qui ſane *Publius* Ovidius *Naſo*, non familiæ nomine, ſed peculiari cognomine appellatus eſt. Quæ quidem refellere in promtu eſt; etenim nominum *familiæ Ovidiæ & Naſoniæ* varietas minime nobis ſcrupulum injicere debet; quippe quæ varietas ex nominum mutatione facile potuerit oriri; quin factum ſæpe fuit, ut, ob claritatem amplitudinemque eorum, qui cognomine aliquo inſigniti eſſent, vel aliis de cauſis, cognomina peculiaria in nomina gentilitia mutarentur. Quod adeo abunde probat Macrobius, de *Prætextati* cognomine verba faciens *, quod a Senatu Romano primum Papyrio honoris cauſa tributum, poſtea in nomen Familiæ *Prætextatorum*

** Saturnal. Lib. 3. cap. 6.*

rum abiit; ut apud eumdem Macrobium quidam ex eadem gente ortus docet: *Hoc cognomentum postea familiæ nostræ in nomen hæsit*. Et paulo inferius: *Nec mirum si ex cognominibus nata sunt nomina*. Eodem prorsus pacto *Nasonis* cognomen, Ovidio olim proprium, viri tamen fama id suadente, derivatum fortasse fuit ad ejus posteros, qui prisco *Ovidiorum* nomine deposito, *Nasoniorum* nomen usurpare maluerunt; quorum unus fuit Nasonius Ambrosius, cujus in lapidis inscriptione fit mentio. Hæc vero omnia ut in animum inducam, nonnihil apud me ponderis habet Poetæ unà cum sua Musa imago, quæ magis magisque opinionem Ovidii ejusque memoriæ, ad posteros in hoc monumento propagatæ, confirmat, ut deinceps clarius docebimus. Ad hanc autem opinionem amplectendam, probabiles tantum nobis rationes sufficiunt, quibus effugiamus reprehensionem illorum, qui diversis fortasse argumentis sententiam nostram labefactare conabuntur. Quam sane plurimum quoque Hortorum Ovidii situs corroborare posset, in quibus monumentum hoc exstructum fuisse nonnulli crediderunt; idque de more Veterum, qui gentilitia sepulcra in hortis suis extra Urbem condere consueverunt. Nihilominus Cluverii * & Bossii hac de re sententia præferenda mihi videtur, qui Ovidii hortos sitos fuisse existimant trans Milvium Pontem in colle, ubi Via Claudia & Flaminia, ut initio diximus, alia aliò divertere incipiunt: sive, uti Nardino * videtur, alio in colle, qui Ponti propior est, sinistrorsum in Via Claudia, cui hodie taberna subjecta est: quæ quidem loca a Sepulcro nimis abesse, patet. Profecto Ovidius ipse hortorum suorum situm hisce versibus innuit *:

De Ovidii hortis.

* *In Ital. Antiq. Lib. 2. edit. Lugd. Patav. 1624. pag. m. 525.*

* *Rom. Ant. Lib. 7. cap. 13. in fin.*

* *Lib. 1. de Ponto Epist. 8. ver. 43.*

* *Alias, pomiferis.*

*Nec quos * piniferis positos in collibus hortos*
Spectat Flaminiæ Claudia juncta viæ.
Quos ego nescio cui colui, quibus ipse solebam
Ad sata fontanas, nec pudet, addere aquas.

Verum, ut ad sepulcralem Ovidii imaginem tandem redeamus, unde divertimus, ex ea in primis morem priscum agnoscimus, quo illustri & nobili familia oriundi, Majorum suorum imagines & clypeos, eorumque præcipue, qui præ ceteris inclaruissent, in funerum apparatu omnium oculis exponere solebant; quod, præter alia exempla, hujus etiam Poetæ figura testatur. Quod ad hujus monumenti vetustatem attinet, ex literarum forma, quibus Nasonii Ambrosii Inscriptio exarata est, colligi potest, illud primorum Antoninorum seculo, Pii nempe, vel Marci, paulo post florentissima Trajani tempora, fuisse exstructum. Idem sane ex pictura conjicere possumus, quæ infimæ Imperii ætati minime convenit; quamvis id quidam putent ex eo, quod quibusdam figuris nonnihil artis desit. Tabulæ profecto, ut ex eisdem his in paginis delineatis patet, eleganter satis depictæ sunt, sive imaginum inventionem ac dispositionem, sive earumdem actiones, habitum, cultumque spectes; qui sane cum melioris seculi sculpturis, & cum veterum Romanorum more optime convenit. Equidem haud abnuo, harum imaginum quasdam a summa elegantia & perfectione artis plurimum abesse; nonnullas tamen esse inter eas contendo, in quibus peritus pictor vix quicquam desiderare queat; cujusmodi sunt imagines ad Ovidii memoriam spectantes: necnon illæ, quæ depictæ in superiore parte loculi, ubi in arcum curvatur, victoriæ insigne deferunt; ac Genii denique in fornice monumenti, quorum deinceps mentionem faciemus. Hoc autem vel ex eo profectum crediderim, quod ad quasdam imagines pingendas adhibiti fortasse minime fuerint Pictores illi, qui vel florentissimo illo seculo inter reliquos excellebant. Et sane figuras illas, quæ in hujus monumenti centro conspiciuntur, a diversis auctoribus profectas, negligentiusque & exiguo cum studio pictas esse apparet. Ferenda igitur non est quorumdam nostræ ætatis Aristarchorum audacia & ignorantia, qui non animadvertentes, quid in hisce picturis boni inesset, nec considerantes satis dotes, quibus præcipue commendantur imagines, eas spernere omnino non dubitabant, ut Veterum gloriæ notam inurerent. Ceterum hisce Picturis plurimum insuetæ aeris injuria nocuit; quo factum est, ut colores antea vividi, nunc languidi & evanidi pristinum decorem amiserint; quin tectorium gypseum, quo fornix obducta est, humore corru-

De hujus monumenti vetustate.

Quæ Picturæ ceteris sint excellentiores in hujusmodi monumento.

ruptum & diſſolutum undique deciderit, adeo ut imaginum reliquorumque ornamentorum vix tenuia hodie ſuperſint veſtigia. Opportune tamen evenit, ut Excellentiſſimus D. Gaſparus Alterius, laudabili ductus ſtudio, quo erga literas ac vetera Patriæ ſuæ monumenta flagrat, tria fruſta ex topho ſive ſaxo, in quo excavatum eſt monumentum, juſſerit excidi: quorum unum integram OEdipi & Sphingis fabulam complectitur: alterum tigridum exhibet venationem, in qua ad feras deludendas ſpecula adhibentur: tertium fragmentum eſt, quod equum dumtaxat continet. Quæ quidem hujus monumenti reliquiæ curioſorum oculis expoſitæ ſunt in pinacotheca Villæ Alteriæ, quam laudatus D. Gaſparus ad viam S. Crucis in Hieruſalem in Colle Eſquilino magnifice ædificari curavit. Quiſquis autem videndi cupidus exſtiterit, non ſolum ut hìc exhibentur, figuras haſce delineatas, ſed etiam ipſas imagines coloribus ſuis veſtitas, librum de Picturis antiquis, a Cardinali Camillo Maximo collectis, adeat; quem qui inſpexerit, Petri Sancti Bartoli diligentiam, & eximiam artem profecto commendabit, qui non ſolum figuras has delineavit, atque æri incidit, ſed etiam imaginibus illis perficiendis operam dedit, quæ laudato in libro coloribus aqua dilutis ad antiquorum exemplarium imitationem pictæ cernuntur. Has etiam picturas qui contemplatus fuerit, Cl. Viri illius magnificentiam, & ingenium vere heroicum non poterit non admirari, cujus morte factum eſt, ut clariſſimum Cœli Latini Sydus extinctum ſit.

Quædam hujuſmodi ſepulcri picturæ alio deportatæ.

Quoniam autem hoc in monumento oſſium dumtaxat reliquias inventas fuiſſe conſtat, ſine ullo combuſtionis vel cinerum veſtigio, unde colligere quis forte poſſet poſteriorum temporum morem, quibus, ſublata rogi conſuetudine, cadavera humari ſolebant; nos quæſtionem de combuſtionis & humationis antiquitate intactam relinquentes, pergemus ad exponenda ea, quæ hucuſque diſtulimus.

Sepulcrum hoc a familia Naſonia ad aliam pervenit.

Quamvis monumentum hoc a Naſonio Ambroſio, ut ſupra dictum eſt, fuerit exſtructum, facile tamen intelligimus fieri potuiſſe, ut longo temporis intervallo, ſicuti omnia mutantur, ita quoque Sepulcrum hoc a familia Naſonia ad aliam gentem pervenerit, titulumque & nomen mutaverit; etſi lege cautum eſſet, ne loca ſepulturæ deſtinata, utpote religioſa, a quoquam alienarentur. Manifeſtum hujus rei indicium eſt, quod iidem loculi ad duorum palmorum & dimidii altitudinem oſſibus repleti eſſent; & quilibet loculus oſſium receptaculum haberet, opere cæmentitio ſtructum, & tegulis interſtinctum, quod crura figurarum in fabulis depictis occultabat; ut Tabula II. Ichnographiæ (*n.* 4.) Tabula III. (*n.*9.) Tabula IV. (*n.* 8.) ac Tabula V. videre eſt; in qua Poetæ & Mercurii aliarumque figurarum partes inferiores ad genua uſque, non ſine gravi damno, deſiderantur. Sic aliæ quoque in loculis reperiuntur figuræ, eodem partium inferiorum defectu laborantes; idque eo, quod calx colorem ibi conſumſerit & exederit. Neque nos defectum illum ſupplevimus, melius fore rati, figuras ob oculos omnium ſubjicere, quales in monumento fuerint inventæ. Cujuſque autem loculi receptaculum, opere cæmentitio, ut diximus, ſtructum, quadratum erat, in quo oſſium reliquiæ, aliæ ſuper alias, ita jacebant, ut ſingulorum cadaverum oſſa, interpoſitis tegulis calce interlitis, a reliquis ſejuncta eſſent. Inſuper, præter duas arcas e rudi marmore Tiburtino, quæ poſteriorum ſunt temporum, quatuor literati lapides effoſſi fuere, præter alium Naſonii Ambroſii, quem ſupra attulimus; qui ſane lapides omnes diverſarum familiarum notam præſeferebant; iiſque exarati erant characteribus, ut ætatem ſeculo Antoninorum recentiorem facile proderent. Ex his vero alter præ ceteris barbare deſcriptus apparet, ſyllabas in medio vocum punctis interſtinctas habens, & rudibus exaratus characteribus; quique ætatis longe recentioris, ejuſque temporis, quo bonarum artium ſtudia penitus jam extincta erant, notas præferebat. Quos quidem lapides hìc ſubtus exhibemus. Unde hujuſmodi ſepulcrum a Naſonio Ambroſio, uno ex Ovidii poſteris, exſtructum, longo poſt tempore, deficiente tandem familia Naſonia, ad alias familias perveniſſe intelligimus.

Quot ibidem lapides ſepulcrales inventi.

D. M.

Inscriptiones hoc in monumento repertæ.

D. M.
AELIO. COGITATO. VETERANO. AVGG. NN
QVI. VIX. ANN. XXXX. MENSIB. X. DIEB. VIIII
ET. MILITAB. ANNIS. XVIII. AVREL. IOVIN
VETERANVS. ET. LOLLIVS. COSTANTIN
MILES. COH. II. PRAETORIAE. ET. VLPIVS
MARCELLIANVS. EQVES. SINGVLARIS. AVGG. N
BENEMERENTI. FECERVNT

L. VOVSIO. VALENTINO
FECIT. SCADRIA. FOR
TVNATA. COIVX. QVAE
VIXIT. CVMIVM. ANN.
ISX. M III. COIVGI. BEN
EMERENT. QVI. VIXIT
ANN. X. M. III. DIEBVS
V. BENEMERENTI
FECIT.

P. O M. S B.
RO. MA. NI. AE. VI. TA. LI.
FI. LE. TI. FILI. A
CONIV. GI. ME. REN. TI.
CAE. SONIVS PRO. BVS FEC.

TABULA VI.

De Loculis dextero in latere existentibus, in quorum primo, quem hoc in Tabula inspicimus, Heroes in campis Elysiis exhibentur.

Ut igitur in loculorum & imaginum ordine exponendo a dextro latere initium faciamus, primo in loculo picturæ ab humore corruptæ occurrunt, eam fortasse ob causam, quod prope rupis introitum sitæ sint. Ex illis tamen princeps adhuc figura conspicitur, (*n.* 1.) Juvenis nimirum stans, & quercea redimitus corona; qui altera manu pilum vel hastam stringit: alteram verò mirabundo similis aperit. Pallium violaceum, quod gemmata fibula humero subnectit, pectori nudo transversum sese implicat, laciniis inferiorem corporis partem tegentibus. Pone binæ adstant mulieres, (*n.* 2.) sed quæ pectore tenus dignosci tantum possint; unà enim cum tectorio & pictura decidit, adco ut illarum effigies delineari non potuerit.

Jam vero Juvenis ille, hujusmodi ornatus corona, hastamque manu tenens, veterum Heroum speciem præbere videtur, quos profecto beatam in Campis Elysiis vitam agere prisci commenti sunt; similesque huic describit Vergilius *, eos præcipue, qui Æneæ nepotes & successores futuri erant, quos eidem pater Anchises apud inferos singillatim ostendit.

* Lib. 6. Æneid. vers 755.

Ille (vides?) pura Juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca; primus ad auras
Æthereas, Italo commixtus sanguine, surget
Sylvius.

Deinceps vero idem Vergilius alios quosdam enumerans, qui Urbium & Populorum conditores futuri erant, eosdem quercea exornat corona *:

* Ibid. vers. 767.

At qui umbrata gerunt civili tempora quercu,
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces.

Eadem prorsus ratione Plato *, ex Musæi sententia, justorum animabus coronas tribuit; hæc enim habet: Μουσαῖος δὲ τούτων νεανικώτερα τἀγαθὰ, καὶ ὁ υἱὸς αὐτοῦ, παρὰ θεῶν διδόασι τοῖς δικαίοις. εἰς ᾅδου γὰρ ἀγαγόντες τῷ λόγῳ, καὶ κατακλίναντες, καὶ συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντες, ἐστεφανωμένους ποιοῦσι τὸν ἅπαντα χρόνον ἤδη διάγειν μεθύοντας. *Musæus item, atque ejus filius excellentiora etiam bona justis ab ipsis Diis tribui*

* De Republ. Lib. 2. Edit. Francfur. 1602. p. m. 595.

vo-

voluerunt. Apud inferos enim agentes, ipſoſque in ſanctorum conviviis collocantes, coronatos faciunt magna ſemper in voluptate ebrios vivere. Tibullus quoque de Elyſiis verba faciens, Amantes, cantibus & choreis indulgentes, myrtea ſerta, Veneri ſacra, gerere indicat: *

* Lib. 1. El. 3. verſ. 65.

Illic eſt cuicumque rapax mors venit amanti,
Et gerit inſigni myrtea ſerta coma.

Huc accedit, quod ſupra hujuſce loculi peripheriam, qui dextrorſum primus eſt, uti & in altero, qui huic e regione oppoſitus eſt, arma & militaria trophæa depicta videantur; nimirum vexilla, dracones, tubæ, pharetræ, & clypea. Ex quibus etiam priſcorum morem haud obſcure colligimus, qui ſuorum monumentis ea inſculpere ſolebant inſignia, quæ vitæ genus, quod in ſepulcro jacens ſectatus eſſet, ſignificarent; cujus quidem moris diverſis in ſtudiis atque artibus ſexcenta inveniuntur exempla. Nos tamen de bellicis armis hìc loquentes, Æneæ exemplum tantùm adducemus, qui arma Deiphobi ad ejus tumulum ſuſpendit *:

* Apud Vergil. Lib. 6. Æneid. verſ. 500.

Tunc egomet tumulum Rhæteo in littore inanem
Conſtitui, & magna Manes ter voce vocavi.
Nomen & arma locum ſervant.

* In Excerpt. Controverſ. Lib. 4. Contr. 4.

Ad hanc rem elegans profecto eſt, quod narrat Seneca * de quodam milite, qui amiſſis in acie armis, de viri fortis tumulo ea ſibi deſumit; ac deinde, hoſtibus profligatis, eodem loco, unde abſtulerat, illa repoſuit. *Vir fortis*, inquit ille, *in acie amiſsis armis, de ſepulcro Viri fortis arma ſuſtulit. Fortiter pugnavit, & repoſuit.* Plurima ſane trophæa, ac victoriæ inſignia, & arma ſarcophagis marmoreis inſculpta videmus, quæ Defuncti in re militari ſtudium aperte indicant.

TABULA VII.

Alter dextero in latere loculus, in quo mutuo Animarum in Elyſiis agnitio.

NUnc de altero, qui ſequitur, loculo pauca dicenda ſunt. In hoc itaque Juvenem quemdam videre eſt, (*n.* 1.) qui obviam factus Virgini, junctaque læva dexteram protendit eam amplexurus, ut quanta ex illius agnitione lætitia affectus fuerit, ei declarare valeat. Virgo viciſſim (*n.* 2.) adoleſcentis amplexu minime ſe ſubtrahit; quin juncta pariter læva, dexteram ei porrigit, ut illum complexu ſuo recipiat; cujus quidem pectore brachiiſque denudatis, ab humeris cœruleum dependet pallium, collectis in ſinum laciniis. Juvenis quoque corpus violaceum pallium denudat, quod ab humeris utrinque decidit. Hunc binæ ſequuntur mulieres, quarum altera (*n.* 3.) patinam cibis repletam manibus gerit, quæ pariter rubro amictu pectus nudata conſpicitur; qui tamen ſubter ſinum pendulus reliqua obtegit. Hujuſmodi ſane pictura mutuam animarum agnitionem in Campis Elyſiis adumbrare videtur. Veteres enim ſibi perſuaſerant, defunctorum animas, deletis vitiorum maculis in hac vita ſuſceptis, in fortunata hæc loca migrare, ut ibi felici ævo fruerentur. Hinc eos, qui in hac vita amoris & neceſſitudinis vinculo juncti fuiſſent, ibi ſeſe mutuo agnoſcere & amplexari putabant. Sic Anchiſes apud Vergilium Æneam filium ſuum, qui vivus ad inferos deſcenderat, ad ſeſe venientem proſpiciens, protenſa dextera, gaudium ſuum teſtatur *:

* Lib. 6. Æneid. verſ. 679.

Iſque ubi tendentem adverſum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utraſque tetendit.

Æneas deinde hoc pacto patrem alloquitur, eum rogans, ut in amplexus ſuos veniat *:

* Ibid. verſ. 692.

. . . . , Da jungere dextram:
Da genitor, teque amplexu ne ſubtrahe noſtro.

Verum quidem eſt, Æneam brachia ad amplectendum patrem ter fruſtra exſtendiſſe, ut idem apud eumdem Vergilium * narrat:

* Ibid. verſ. 695.

Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.

Poe-

Poeta enim, quamvis animabus corpore caſſis corporeas tribuat actiones & motus, re tamen vera eas vanis tantum umbris, ſomno, & ventis ſimiles eſſe fatetur. In quo ſane Vergilius Homericum Ulyſſem imitatus eſt, quem umbra matris Anticleæ, quum eam amplecti vellet, ter itidem fruſtrata eſt *. Verum Dantes magis poetice in ſuo Inferno, de Vergilii umbra verba faciens, eum verè & abſque vana rei imagine ſuas tetigiſſe manus narrat *:

Et poiche la ſua mano a la mia porſe.
Poſt ubi jam Vates dexteram complexus euntis.

* *Apud Hom. Odyſſ. 11.*
* *In Infer. Can. 3. v. 19.*

Ceterum, adeo firma & conſtans erat perſuaſio veterum, ſe eos, quos in hac vita dilexiſſent, iterum viſuros, & cum iiſdem verſaturos, vitamque beatam acturos eſſe in Campis Elyſiis, ut referente Platone * nonnulli ſpe ducti, ſe eorum, quos hìc caros habuiſſent, jucundo aſpectu poſt fata fruituros, ſponte mortem obire decreverint, Πολλοὶ δὴ, inquit ille, ἑκόντες ἠθέλησαν εἰς ᾅδου ἐλθεῖν ὑπὸ ταύτης ἀγόμενοι τῆς ἐλπίδος, τῆς τοῦ ὄψεσθαί τι ἐκεῖ ὧν ἐπεθύμουν, καὶ ξυνέσεσθαι. *Multi ſponte voluerunt ad Inferos proficiſci, ſperantes eos ibi videre, cum eiſque verſari, quos amaverant.*

* *In Phædone edit. Francofur. 1602. p. m. 51. E.*

Quod vero ad juvenem attinet, cibum in patina ferentem, is nos admonet moris, defunctis epulas apponendi, Deoſque Manes placandi; ex quo ſane more, nimirum a ferendis ad tumulum epulis, nomen mutuarunt feriæ illæ Romanorum, Diis Manibus dicatæ, *Feralia* dictæ, ut docet Varro hiſce verbis: *Ferialia ab Inferis, & a ferendo, quod ferunt tunc epulas ad ſepulcrum, quibus jus ibi parentare.* Necnon Ovidius *:

Hanc, quia juſta ferunt, dixere Feralia *lucem,*
Ultima placandis Manibus illa dies.

* *Lib. 2. Faſt. verſ. 569.*

Quin ab hujuſmodi Parentum officio *Parentalia* quoque appellata fuere convivia illa, quæ in parentum aut propinquorum funeribus fieri conſueverunt; & *Parentales dies*, quibus ſolemnes epulæ ad mortuorum ſepulcra ſolent afferri. Illas nimirum epulas defunctis ſuis gratas fore credebant, quippe quibus illi veſcerentur & uterentur, quamvis adeo procul a nobis vitam degerent. Quos tamen ſalſe deridet Lucianus, a quo filius mortuus patrem ſuum reprehendere fingitur, quòd aram ſepulcralem ornaret coronis, eique infunderet vinum & delicatiſſimos cibos, odoreſque flammis adoleret. Τί δὲ ὁ ὑπὲρ τοῦ τάφου λίθος ἐστεφανωμένος (*inquit ille* *) τί ὑμῖν δύναται τὸν ἄκρατον ἐπιχεῖν; ἢ νομίζετε καταστάξειν αὐτὸν πρὸς ἡμᾶς, καὶ μέχρι τοῦ Ἅδου διΐξεσθαι, τὰ μὲν γὰρ ἐπὶ τῶν καταγισμῶν καὶ αὐτοὶ ὁρᾶτε, οἶμαι, ὡς τὸ μὲν νοστιμώτατον τῶν παρεσκευασμένων, ὁ καπνὸς παραλαβὼν, ἄνω εἰς τὸν οὐρανὸν οἴχεται, μηδέν τι ἡμᾶς ὀνήσας τοὺς κάτω. τὸ δὲ καταλειπόμενον, ἡ κόνις, ἀχρεῖον, ἐκτὸς εἰ μὴ τὴν ὀποδὸν ἡμᾶς σιτεῖσθαι πεπιστεύκατε. οὐχ οὕτος ἄσπορος, οὐδὲ ἄκαρπος ἡ τοῦ Πλούτωνος ἀρχὴ, οὐδ᾽ ἐπιλέλοιπεν ἡμᾶς ὁ ἀσφόδελος, ἵνα παρ᾽ ἡμῶν τὰ σιτία μεταστελλώμεθα. Id eſt: *Quid autem ſaxum, quod ſepulcro imponitur *, coronis ornatum? Aut quid valet, quod * merum infunditis? Num putatis illud ad nos diſtillaturum, & ad Orcum uſque permeaturum? Nam de parentalibus ipſi quoque, ni fallor, videtis, quod ex apparatu potiſſimum ad nos redire debuerat, id fumo correptum, ſurſum in cœlum abire; neque quicquam juvare nos, qui inferne agimus. Porro quod ſupereſt, pulvis eſt inutilis, niſi creditis nos cinere veſci. Non eſt uſque adeo ſterile Plutonis regnum; neque nos deſtituit aſphodelus, ut a nobis cibos huc deportemus.* Aſphodeli autem nomine Lucianus intelligit herbam plebejam ac vilem, ut ex hoc aliiſque locis colligere licet; eaque innuit victitare manes, apud quos nullus luxus, nulla ſit ambitio *, quò melius hanc conſuetudinem irrideat.

* *De Luctu, Edit. Baſil. Tom. 1. pag. 793.*
* *Olim monumenta Defunctorum opio coronabantur. Hinc τοῦ σελίνου δεῖται proverbio dictum ab antiquis, quoties morbum capitalem innuebant, aut vitæ periculum imminere.*
* *Vinum in rogum fudiſſe veteres, ſunt teſtes. Homer. Iliad ψ. & ω. Verg. 6. Æneid.*
* *Ut ad hunc locum annotat Gilbert. Cognat.*

TABULA VIII.

PLutonis & Proſerpinæ imaginem tertius exhibet loculus. Pluto itaque (*n.* 1.) ſedens, dextera regale ſceptrum detinet, eique eſt caput fere fronte tenus pallio violaceo opertum: ſuperiore corporis parte nudata, & vultu ad ſeveritatem compoſito, ut Jovem Stygium agnoſcas, quo nomine eum veteres donarunt, quod regnum Inferorum obtineret. Quem propter ſedet Pro-

Tertius ejuſdem lateris loculus, in quo Plutonis & Proſerpinæ imagines, ad quos Mercurius inferus Animam deducit.

ſerpina, (*n.* 2.) violaceo amictu ſuperinduta, cujus caput aureo diademate ornatur, quod Junonem Stygiam atque Umbrarum Reginam deceat, quo ſane nomine a veteribus inſignita eſt. Stat contra Mercurius, (*n.* 3.) dextraque præferens caduceum, puellam quamdam (*n.* 4.) ad Numina infernalia deducit; lævaque in illius humeros rejecta, eam veluti adire timentem a tergo impellit. Proxime mulier quædam adſtat, (*n.* 5.) corpus caputque pallio cœruleo obvoluta, altera tantùm manu & facie nudatis.

Quo autem clarius, quæ de Plutonis imagine dicta ſunt a nobis, veriſimilia eſſe pateat, quoſdam ex Claudiano verſus adducemus, quibus Poeta Plutonem in ſolio ſedentem, & ſceptrum manu tenentem eleganter deſcribit. *

Lib. 1. de Rapt. Proſerp. verſ. 79.

Ipſe rudi fultus ſolio, nigraque verendus
Majeſtate ſedet. Squallent immania fœdo
Sceptra ſitu, ſublime caput mœſtiſsima nubes
Aſperat &c.

Licèt in noſtra pictura aliter res ſeſe habet; verùm loco nubis, Plutonis caput velum inumbrat. Pindarus * in Plutonis ſceptro ejuſdem potentiam, qua mortuos ſub ſuum redigit imperium, agnoſcit. Sic enim cecinit:

Olymp. Od. 9. verſ. 50.

. . . . Οὐδ᾽ Ἀΐδας ἀκινήταν ἔχε ῥάβδον,
Βρότεα σώμαθ᾽ ᾇ κατάγει
Κόιλαν πρὸς ἀγυιὰν
Θνασκόντων. Id eſt:
Neque Pluto immotam habuiſſet virgam,
Mortalia corpora qua deducit
Cavum ad vicum
Mortalium.

Eadem ſane potentia Proſerpinæ fuit, quæ cum marito diviſum in mortuorum animas habebat imperium. Hinc Vergilius Deos hoſce Infernales ſimul invocans, ita inquit: *

Lib. 6. Æneid. verſ. 264.

Dii, quibus imperium eſt animarum.

Et Æneas apud eumdem *, ingreſſurus Infernum, utrique Numini, Homericum * Ulyſſem imitatus, ſacrificat, ut ea ſibi propitia reddat. Tibullus tamen Proſerpinæ imperium in vitam humanam clarius hiſce verbis deſignat *:

Ibid. a verſ. 242. ad 254.
Odyſſ. k.
Lib. 3. Eleg. 5. verſ. 5.

At mihi Perſephone nigram denunciat horam.

Illi nimirum vitæ mortiſque arbitrium commiſſum fuit; quoniam non ſolùm Juno Lucina a veteribus indigitabatur, quippe quæ naſcentibus vitam daret; ſed etiam Juno Infera, utpote quæ lucis uſuram morientibus adimeret. Hujus autem imperii conſortem eam fecit Pluto vir ejus, qui apud Claudianum a ſe raptam Proſerpinam his verbis delinit & conſolatur *:

Lib. 2. de Rapt. Proſerp. verſ. 13. ante fin.

Sub tua purpurei venient veſtigia Reges,
Depoſito luxu, turba cum paupere mixti.
Omnia Mors æquat. Tu damnatura nocentes:
Tu requiem latura piis.

Hinc ante eos videmus animam, quam forma puellæ adumbrat, a Mercurio deductam; quippe cujus officium erat (quod vel hac in tabula videre eſt) mortuorum animas ad Orcum compellere: ex quo ille a Græcis Πομπαῖος, & Ψυχόπομπος, ſcilicet *Ductor*, & *Comes-animæ*, dictus eſt. Vergilius quoque hanc ejus virgæ & caduceo vim & potentiam adſcribit *:

Lib. 4. Æneid. verſ. 242.

Tum virgam capit, hac animas ille evocat Orco
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit:
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Idem apud Horatium *, alioſque. Quæ ratio fuit, cur Mercurius a morientibus invocaretur. Apud Euripidem ſane Chorus, dum animæ Alceſtis pacem & incolumitatem precatur, his utitur verbis, quæ imagini noſtræ apprime conveniunt *:

Lib. 1. Carm. Od. 10.
In Alceſt. Act. 3. in fin.

Χαῖρε. πρόφρων σε χθόνιός θ᾽ Ἑρμῆς,
Ἀΐδης τε δέχοιτ᾽. εἰ δέ τι κἀκεῖ

Πλέον

Πλέον ἔς᾽ ἀγαθοῖς τέτων μετέχεσ᾽
Ἄδε νύμφᾳ προσεδρέυοις. Id eſt:
Vale: benevolus te ſubterraneus Mercurius,
Et Pluto excipiat: ſi vero & illic
Plus bonorum contingit bonis, horum particeps
Plutonis conjugi aſsideas.

Plato quoque, de ſtatu animarum poſt mortem loquens *, docet, eas a ſordibus, quas e diutino corporis commercio contraxerint, defæcatas, a Mercurio ad Lethæum amnem deduci, ut ejus aqua epota, omnium, quæ in corpore paſſæ ſunt, obliviſcantur: quo facto, licere eis in vitam redire, fatali temporum orbe circumacto, nempe millenario. Platonis mentem egregie Vergilius expreſſit *:

** In Phædone, Edit. Francof. 1602. p. m. 80.*

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores ſupera ut convexa reviſant
Rurſus, & incipiant in corpora velle reverti.

** Lib. 6. Æneid. verſ. 743.*

Ceterum, pulcherrima eſt imago Mercurii inferi, arcæ ſepulcrali inſculpta, quæ in Pamphyliorum ædibus Romæ aſſervatur, quæque inter Viæ Appiæ monumenta inventa eſt. Ea itaque Mercurium exhibet, defuncti animam in ulnis geſtantem, quæ papilionis inſtar alata eſt, & ſimilitudine puellulam refert; qua de re plura a nobis dicta ſunt in libro *de Romanarum Antiquitatum Veſtigiis* *, in qua hujuſmodi arcam illuſtravimus, quæ variis ſuis ornamentis humanæ vitæ, mortiſque vices denotat *. Sed quam hac in tabula conſpicimus puellulam, quæ animæ imaginem exhibet, caret alis, & brachia nuda gerit, amictu rubro ceteroqui induta. Hoc enim pacto animam Poetæ & Pictores effingebant, qui eam, tamquam forma corporea præditam, cum veſtibus & coloribus, ut aſpici poſſet, exhibere voluerunt. Hæc inſuper anima, quæ a Mercurio deducitur, Infernalium Numinum aſpectum horrere & reformidare videtur. Ruber denique amictus, quo anima induitur, igneam fortaſſe naturam indicat, quam in hominum animis ineſſe veteres credebant; ob ipſarum e cœleſti ſemine originem, ut Vergilius cecinit *:

** Quæ Petrus Bartolus delineavit, & Jacobus de Rubeis typis edidit in fin.*

** Quam ſane arcam ſepulcralem in præſentiarum videre eſt in Ædibus Capitolinis, quo Clemens XII. plurima veterum monumenta hinc inde coempta contulit.*

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo.

** Lib. 6. Æneid. verſ. 725.*

TABULA IX.

Luſtrandum nobis nunc eſt ſiniſtrum latus; in cujus primo loculo, & quidem in medio, ſtat Juvenis, (*n.* 1.) cui viridis & ſubflavi coloris amictus ab humeris per medium pectus dependet, cetera nudus: caput ejus & comas ambit faſcia aurea ſeu diadema; quo quidem cultu Heroes conſpicui eſſe ſolent. Manuum autem altera alatum equum fræno continet, (*n.* 2.) altera verò tibiam geſtat, muſicum nempe inſtrumentum oblongum, teres, & foraminoſum, quod inflari, & digitis modo adductis modo reductis temperari ſolet. Utrinque vero aſſident mulieres; quarum una (*n.* 3.) juncis ſive cannis redimitur: altera (*n.* 4.) cubito innititur, dextera quidem genis admota, læva vero florum calatho impoſita. Pegaſi imago paſſim profecto in ſepulcris occurrit, eamque in hiſce ſepulcralibus figuris ſemel, iterum, ac tertio offendimus, ut deinceps patebit; & quamvis illi variæ poſſint accommodari interpretationes, nos tamen ex omnibus duas tantum hìc proponemus, quæ minime abſurdæ videbuntur.

Primus ſiniſtri lateris Loculus, in quo Pegaſus frænatus, qui Animarum in cœlum deportationem indicat.

Veteres itaque ab hujuſmodi aligero Equo animas in cœlum efferri ſibi perſuaſerant; cujus quidem rei haud obſcurum nobis præbet indicium celebris Acates Tiberianus, qui in Pariſienſi Sacrario * aſſervatur; in quo Auguſtus poſt Apotheoſin a Pegaſo in cœlum evehitur, Jove coram adſtante, ut Cl. Triſtanus in ſuo ad hanc gemmam commentario * interpretatur. Romæ verò in quodam Farneſiano lapide apud vineam quamdam in Clivo Cinnæ * Heros quidam paludatus conſpicitur, qui ad æthera quatuor aligeris equis evehitur, relicta terra rapido curſu cœlum petentibus, ubi Juppiter illum excepturus adventum ejus expectat. Hunc autem Æneam eſſe, poſt Apotheoſin ad cœleſtes ſedes migrantem, plerique

** La Sainte Chappelle de Paris, apud Triſtan.*

** Commentaires Hiſtoriques ſur les Medaill. Comment. V. Medail. 22.*

** Vulgo Mons Marius.*

que conjectant. Neque alienum est hìc etiam mentionem facere Antinoi, in nummo Smyrnensi eum titulo Herois expressi, in cujus parte aversa Mercurius exhibetur, qui hujusce picturæ instar, Pegasum pariter fræno retinet, ut Antinoum in cœlum efferat; nisi nummus hìc aliter interpretandus videretur. Hujusmodi sane equorum officium animas in cœlum efferendi, mystice indicat Plato *, qui de animabus, atque aligero Jovis curru verba faciens, docet, eas animas, quæ minime validis utuntur equis, misere ad terram decidere; quum aliæ in cœlum perveniant. Hæc enim ait: Ἔοικε δὴ τῇ ξυμφύτῳ δυνάμει ὑποπτέρου ζεύγους τε καὶ ἡνιόχου. θεῶν μὲν οὖν ἵπποι τε καὶ ἡνίοχοι πάντες, αὐτοί τε ἀγαθοὶ καὶ ἐξ ἀγαθῶν· τὸ δὲ τῶν ἄλλων μέμικται. καὶ πρῶτον μὲν ἡμῶν ὁ ἄρχων συνωρίδος ἡνιοχεῖ, εἶτα τῶν ἵππων ὁ μὲν αὐτῷ καλός τε καὶ ἀγαθὸς, καὶ ἐκ τοιούτων ὁ δὲ, ἐξ ἐναντίων τε καὶ ἐναντίος. χαλεπὴ δὴ καὶ δύσκολος ἐξ ἀνάγκης ἡ περὶ ἡμᾶς ἡνιόχησις. *Similis esto cognatæ potentiæ subalati currus & aurigæ. Deorum equi & aurigæ omnes boni sunt, atque ex bonis; aliorum vero permixti. Principio quidem nostri princeps bigas habenis moderatur; deinde equorum alter bonus & pulcher, & ex talibus alter contrarius & ex contrariis. Quo fit, ut dura & difficilis necessario fit vectura nostra. Paulo vero post hæc addit:* Τὰ μὲν θεῶν ὀχήματα ἰσοῤῥόπως εὐήνια ὄντα ῥαδίως πορεύεται. τὰ δὲ ἄλλα πορεύονται μόγις. βρίθει γὰρ ὁ τῆς κάκης ἵππος μετέχων, ἐπὶ γῆν ῥέπωντε καὶ βαρύνων ἣν μὴ καλῶς ᾖ τεθραμμένος ὑπὸ τῶν ἡνιόχων. *Deorum quidem vehicula apta habenis, æqualiter librata, facile gradiuntur; aliorum vero ægre. Gravatur enim pravitatis particeps equus ad terram vergens, atque trahens, cuicumque aurigarum equus non bonus nutritus fuerit.* Haud absurdum itaque esset, si figuram hanc, quæ aligerum frænat equum, animarum in cœlum deportationem indicare affirmarem. Ac revera de Elysiorum situ & loco discrepant Poetarum sententiæ; nonnulli enim eos globo vel circulo Lunæ proximos esse volunt, eamque Heroibus sedem assignant: quos inter recensendus Lucanus *, qui animam Pompeji Magni eo migrasse commentus est:

Semidei Manes habitant, quos ignea virtus
Innocuos vita patientes ætheris imi
Fecit.

Necnon Statius in ejusdem Lucani Genethliaco *:

At tu, seu rapidum poli per axem
Famæ curribus arduis levatus,
Qua surgunt animæ potentiores,
Terras despicis, & sepulcra rides.

Hinc Macrobius de Platonicorum sententia scriptum reliquit, animas justorum post corporis interitum aliam auspicari vitam in superiore Mundi immutabilis parte, quæ incipiat a sphæra, dicta *Aplanes*, & globo Lunari terminetur, qui corruptionis initium est; ibique Campos Elysios, beatarum animarum sedes, esse docet; *Igitur*, inquit ille *, *sphæra Martia ignis habeatur, aer Jovis, Saturni aqua, terra vero Aplanes, in qua Elysios campos esse puris animis deputatos, antiquitas nobis intelligendum reliquit.*

Hactenus quoad primam, quam innuimus, interpretationem. Jam ad alteram pergamus, quæ mihi in hujusce Loculi figuram, Pegasum frænantem, aliquo pacto quadrare posse videtur, eaque hæc est. Castorem & Pollucem tam in sepulcris, quam lucernis sepulcralibus effictos passim videmus, utrorumque manu equi fræno admota. Quod sane ipsorum immortalitatem, tamquam immortalis animæ symbolum, significare poterit. Pollucem enim, quod Jove natus esset, immortalem fuisse Poetæ fabulantur; atque ut fratrem suum Castorem itidem immortalem redderet, eidem immortalitatem suam impertivisse; itaut singulis diebus alterni vita fruerentur. Eos tamen animæ immortalitatem indicare creditum est; hinc est, quod pluribus sepulcralibus lapidibus cernuntur insculpti, frænum equi manu detinentes, nudi tamen; ac tantum paludati, similitudinemque picturæ hujus omnino referentes. Quin in Museo nostro pulcherrimas hac de re lucernas asservamus, in quarum altera Plutonem cum Cerbero in medio eorum videre est. Præterea in quodam Mexentii nummo Castor & Pollux eodem pacto effícti sunt, addito æternitatis titulo: ÆTERNITAS. AUG. N.

Æter-

* In Phædro Ed. Francof 1602. p. m. 1221. & seq.

* Pharsal. Lib. 9. vers. 7.

* Sylvar. Lib. 2. sub fin.

* Lib. 1. Somn. Scip. Cap. 11.

Æternitas Augusti nostri. Ex quibus omnibus colligi potest, quem hic conspicimus adolescentulum, ex illis fratribus alterum esse, hac fortasse forma depictum, ut fatale & funestum tempus denotet, quo sibi inter Umbras morandum erat, interea dum alter aura vitali fruebatur. Hujus autem fabulæ mentionem facit Vergilius *:

Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties.

* Lib. 6. Æneid. vers. 121.

Atque hæc de Pegaso dicta sufficiant. Reliquum nunc est, ut quæ nondum attigimus, explicemus. Tibia itaque, quam Heros ille dextera gerit, mœsta & funebris erat; quia ad cantum ejusmodi tibiarum Deos Manes placari consuevisse, omnibus patet. Illis quoque Veteres utebantur, quum justa funebria celebrarentur, adhibitis tamen modulis phrygiis, qui lamentis & questibus conveniebant; persuasum enim habebant, hujusmodi cantum Diis Manibus gratum esse. Hinc Ovidius *:

Cantabat mœstis tibia funeribus.

* Lib. 6. Fastor. vers. 660.

Hæc insuper tibia, præter foramina numero digitos æquantia, quæ spiritui sive flatui exitum præbent, aliquot claviculas habet, quibus alia claudi & aperiri possint foramina, utì in prima Ovidii & musæ ejus Eratùs imagine vidimus, quæ haud absimilem manu tibiam detinebat; similesque prorsus invenimus in sepulcro Caji Cestii, ubi mulier quædam duas tibias longas manu tenens exhibetur; quas, quum sepulcrum illud illustraremus, ad ritus funebres pertinere diximus.

De duabus vero fœminis, quæ assident, agetur deinceps, quum figuras alias, iis prorsus similes, explicabimus.

TABULA X.

Alter ejusdem sinistri lateris Loculus, in quo Alcestidis fabula, ad quem Hercules ab inferis reducit uxorem.

JAm nobis alter hujusce sinistri lateris Loculus inspiciendus est, in quo pictus cernitur Hercules, (*n.* 1.) qui dextera clavam de more gerit, ac Matronam quamdam, (*n.* 2.) corpus & caput fronte tenus albo talari pallio obvolutam, deducit; ac rejecta in ejus humerum læva, illam veluti amplectitur. Hoc, inquam, habitu indutam, ad quemdam subtristi vultu e regione sedentem adducit; (*n.* 3.) qui sane cubito innixus, & læva mento supposita, ignotam matronam intuetur. Est ei præterea caput regia fascia præcinctum; ipsemet autem violaceo pallio est amictus, cujus laciniæ in sinum colliguntur, superiore corporis parte denudata. Hercules insuper arcum & pharetram lateri appensum gestat; eumque proxime Dea ejus tutelaris Pallas, hasta & aureo clypeo armata, comitatur. (*n.* 4.) Hæc autem omnia Alcestidis fabulam nobis exhibent, quæ ab Hercule ad vitam revocata, & ejus viro Regi Admeto reddita fingitur; ut apud Euripidem in Tragœdia, quæ *Alcestis* inscribitur, cuique legere licet. Fabularum sane architecti narrant, Apollinem, ut Admeto Regi Thessaliæ vitam produceret jam jam morituro, precibus a Parcis obtinuisse, ut liceret ei alterum, sponte moriturum, in locum suum sufficere. Quum vero nemo esset, qui morte vicaria Regis Admeti vitam redimere vellet, Alcestidem sponte letho se obtulisse, & mariti fata, quem summopere deperibat, subire non recusasse. Hoc interim tempore Hercules in Thessaliam venit, qui hospitio a Rege exceptus, quum luctùs causam intellexisset, Alcestidis sepulcrum adiit, eamque, superata Parca, salvam & illæsam ad virum reduxit. Herculis autem effigies ea est, quæ imitari videatur illa ejusdem Herculis verba, quibus apud Euripidem affatur Admetum; ab ipso tamen non intellecta, quoniam conjugem suam tacentem, quæ habitum nigrum & lugubrem candido & nuptiali mutaverat, agnoscere non poterat *:

Ηρ. Δέχȣ νῦν εἴσω τήνδε γενναίαν δόμων.
Her. Recipias sodes in domum istam generosam.

* In Alcestid. Act. 4. vers. 1097.

Et paulo post *

Ηρ. Τῇ σῇ πέποιθα χειρὶ δεξιᾷ μόνῃ.

* Vers. 1115.

Her. Commendo eam tantum tuæ dextræ.

Renuit ſane Admetus illam recipere, quoniam, quid factum eſſet, ignorabat. De veſte candida & nuptiali Alceſtidis, necnon nigra ſive funebri, Euripides in Chori lamentatione mentionem facit *:

* *Act. 4. ibid. verſ. 922.*

Νῦν δ' ὑμεναίων γόος ἀντίπαλος,
Λευκῶν τε πέπλων μέλανες στολμοὶ.
Nunc autem lamentatio Hymenæo contraria,
Et pro candidis veſtibus atræ veſtes.

Hæc profectò, quæ hìc exhibetur, Admeti imago exprimit; quæ ſane imago Admetum dubium animoque incerto Herculis verba audientem repræſentat, & venientem ad ſe matronam intuentem; quam tandem agnovit, & cum gaudio ac tripudiis in regiam ſuam deduxit. Quam quidem Alceſtidis ad vitam revocatæ fabulam, immortalitatis animæ humanæ ſymbolum eſſe voluerunt, quæ virtute duce, quam Herculis figura deſignat, nobis eſt comparanda.

TABULA XI.

Tertius ac poſtremus ſiniſtri pariter Lateris Loculus, in quo Najades Nymphæ Elyſiæ exhibentur.

IN tertio ac poſtremo Loculo, quem hac in tabula exhibemus, tres Nymphas in patulo confidentes videre eſt; (*n.* 1.) lagenas ſeu hydrias manibus tenentes, prout depingi plerumque ſolent. Ipſis intermedius Juvenis ſeminudus adſidet, (*n.* 2.) arundinem paluſtrem præferens. Dubium nullum eſt, quin hujuſmodi figuræ Najades, & aquarum Genios repræſentent; ſed non æque certum eſt, quare hoc loco depictæ ſint, & annon forte ſub illarum involucro fabula aliqua vel myſterium lateat, cujus tamen aliquam afferre conabimur interpretationem. Najades quoque Campos Elyſios incolere, & fluvium Lethen: necnon blanditiis ſuis animas in amœnis illis locis exhilarare, Veteres commenti ſunt; cujus rei exemplum nobis ſuggerit Statius *:

* *In Conſol. ad Flav. Sylv. Lib. 2. in fin.*

Aut illic per amœna ſilentia Lethes
Forſan Avernales alludunt undique mixtæ
Najades, obliquoque notat Proſerpina vultu.

Verum, ut fabulam hanc phyſice interpretemur, ea ſane de cauſſa ſæpe Sarcophagis inſculptas varias Nymphas, Nereides, & Deos marinos, utì & Najades & Flumina videmus, quòd nonnullis, quorum princeps Thales Mileſius, ex humore & aqua omnia gigni & creari perſuaſum fuerit; quoniam abſque humore nil generatur vel corrumpitur. Hinc Orpheus * Oceanum ſive Nereum, antiquiſſimum Deum vocavit: Νηρέα μὲν πρώτιστα καλῶ πρέσβυστων ἁπάντων. Quin Salluſtius Philoſophus * Nymphas generationi præeſſe autumat.

* *In Argon.*

* *In Libello de Diis, & Mundo.*

Quæ cauſſa eſt, cur Veteres in ſepulcris Nymphas Flumina ac Deos marinos effingerent; quod ſibi perſuaderent, fore, ut ex aqua ad æternam & immortalem vitam renaſcerentur. Qua de re plura a nobis dicta ſunt in Notis, quibus arcam ſepulcralem penes Ædem S. Franciſci ad Ripam illuſtravimus, cui miro admodum artificio inſculpta eſt Venus Aphrodites, ſcilicet *ex ſpuma maris orta*, quæ generandi inſtinctum & appetitum deſignat, addito Deorum marinorum choro; utì illam expreſſam videre eſt in noſtro libello *De Fragmentis veſtigii veteris Romæ* *; ubi hæc annotavimus *: *Æternitatem in ſepulcris Antiqui deſignare ſolebant, unde varia Marinorum Deorum emblemata, cum ex Oceano cuncta gigni crearique crederent.* Quod vel ipſi equi marini, ſive Pegaſi, circa Loculi ambitum aperte indicant, qui ſane animas ex aqua renaſcentes, & ſic in vitam redeuntes, deſignant.

Abſolutis Loculorum imaginibus, de ſecundo imaginum ordine, qui utrinque fabulis quinque diſtinctus eſt, pauca dicenda.

Jam vero ad ſecundum imaginum ordinem gradum faciamus; qui ordo ſane utrinque fabulis quinque, paraſtaticis columnis interſitis, diſtinctus eſt, ut ſuperius (*Tab.* 3. *n.* 6.) innuimus. In dextero autem latere duæ priores fabulæ deſiderantur, quæ unà cum tectorio deciderunt; hinc tertia quæ fuerat fabula, ſcilicet Raptus Proſerpinæ, omnium prima ſeſe offert conſpicienda.

TA-

TABULA XII.

Raptus Proserpinæ eodem prorsus pacto, quo in veterum monumentis, hac in tabula exhibetur: Nimirum Pluto (*n.* 1.) Proserpinam vel invitissimam sublimem rapit, eamque amplectitur in curru, quem quatuor equi nigri, in cursum laxatis habenis effusi, trahunt. Proserpina lamentans vociferatur, (*n.* 2.) vultu averso, capillis passis, & brachiis ad coelum protensis, ut apposite describit Claudianus *:

In dextero Latere, quum duæ priores fabulę desiderentur, hæc, tertia quæ fuerat, omnium prima conspicitur, qua quidem Raptus Proserpinæ exhibetur.

* *De Rapt. Pros. vers.* 247.

Interea volucri fertur Proserpina curru,
Cæsariem diffusa Noto, planctuque lacertos
Verberat, & questus ad nubila fundit inanes.

Alastor itaque, aliique infernales equi, (*n.* 3.) rapido incitati cursu, jam jam ad Averni speluncam pervenerunt. (*n.* 4.) Illum vero, qui currum præit, & equorum habenas moderatur, (*n.* 5.) Mercurium inferum dixerim, qui etiam antiquis in lapidibus, quibus eadem fabula insculpta, passim conspicitur. Hujusmodi autem fabula descensus animæ ad Inferos adumbratur, uti illam Sallustius Philosophus explicat. Hinc Pluto, ad infera regna populos compellens, Ἀγεσίλαος, *Ductor populi*, indigitatus est; quia πάντας ἄγει λαοὺς, *omnes agit populos*: Omnibus enim moriendum; cui Inferiæ, sive mortuorum sacrificia persolvebantur. Eodem pacto lamentationes & planctus in funeribus, Cereris luctum imitabantur: eamque ob caussam arcis sepulcralibus Raptus Proserpinæ *, & luctus Cereris matris ejus, insculpi consuevit, quæ quidem Draconum bigis vecta, duabus facibus prælucentibus raptam filiam inquirit, uti laudato in libello *De Vestigiis Antiquitatum Romanarum* exposuimus.

* *Uti inter veterum monumenta, quæ Clem. XII. coemit, & in Capitalium congessit, videre est.*

TABULA XIII.

IN hac sane Tabula, quæ quarto in spatio depicta est, Herculis cum Antæo congressus exhibetur. Hercules itaque (*n.* 1.) lævo brachio illum medium arreptum premit, atque alte sublatum, Terræ contactu prohibet, ex quo fessas vires reficere consuevit, pectorique suo arctius adstrictum enecat. Confixit enim Vetustas, Antæum, (*n.* 2.) Terræ filium, quoties membra labore defecta essent, matris attactu recreari consuevisse. Qua re Palladis admonitu intellecta, Hercules eum e terra sublimem tenuit, & eousque pressit, donec spiritu eliso, hostem exanimasset, uti in hac Imagine conspicimus. Dextrorsum præterea Dea Pallas (*n.* 3.) adstat, quæ læva manu clypeum & hastam gerit, & dexteram ad Herculem protendens, ei Terram ostendit, Antæi matrem, quæ filium suum, novis semper viribus & novo robore firmatum, reddat invictum. Nimirum Pallas Heroem hunc singulari favore complectens, illi in rebus ab eo fortiter gestis præsto semper aderat; uti superius, quum Alcestidis fabulam explicaremus, innuimus *. Hinc Deam hanc Hercules apud Senecam in Tragoedia, cui nomen *Hercules furens*, postquam Lycum morti dedisset, hoc pacto invocat *:

Post Raptum Proserpinæ Fabula Herculis, Antæum in lucta elidentis, ordine quarta exhibetur.

* *Tab.* 10.

* *Act.* 4. *vers.* 6.

Te, te, laborum socia & adjutrix, precor,
Belligera Pallas.

Atque in alia pariter Tragoedia, *Hercules OEteus* inscripta, eam *sororem* suam appellat, quum uterque Jovem patrem agnosceret. Exadversum autem Palladi Terra mater Antei (*n.* 4.) assidet tristi vultu: læva quidem manu in saxum reclinata, sublata vero altera dolorem suum declaratura. Faciem, oculosque avertit, ne indignum filii sui ab Hercule elisi ludibrium cernere cogatur, cui ipsa nec opitulari, nec ullo pacto ab instante nece eripere valet.

TABULA XIV.

Quinta ac postrema dextero in latere existens Fabula, in qua impiorum Animæ in bestias immigrantes exhibentur.

SIcuti superioribus in tabulis Heroes, in Campis Elysiis beatam vitam agentes, contemplati sumus; contra in hac, quæ nunc sese offert, impiorum animas in bestias immigrare agnoscimus, pro cujusque moribus; ac vitiorum genere, quibus in vita sese polluerunt. In rupe itaque Porculus conspicitur (*n.* 1.), in stagno vero Asinus, (*n.* 2.) & Mulus; (*n.* 3.) quorum alter bibit, alter ex aquis prodit, cursu ad Mercurium (*n.* 4.) intento, qui eum evocare videtur. Apud Platonem sane in *Phædone*, sive in *Dialogo de Anima*, Socrates in Pythagoræ sententiam de humanarum animarum conditione, post vitam exactam, Cebetem edocet; post vero quam de secunda justorum fortuna verba fecit, deinceps quæ impiorum animis decretæ sint pœnæ narrat, quibus carceris ac supplicii loco eas in bestias immigrandum esse docet, quas moribus & vitæ turpitudine imitati fuerint. Hæc autem habet: * Οὗτοι μὲν γαστριμαργίας τε καὶ ὕβρεις καὶ φιλοποσίας μεμελετηκότας, καὶ μὴ διευλαβημένους, εἰς τὰ τῶν ὄνων γένη καὶ τῶν τοιούτων θηρίων εἰκὸς ἐνδύεσθαι. Mox vero. Τοὺς δέ γε ἀδικίας τε καὶ τυραννίδας καὶ ἁρπαγὰς προτετιμηκότας, εἰς τὰ τῶν λύκων τε καὶ ἱεράκων καὶ ἰκτίνων γένη. Ac paulo post. Οὐκοῦν δηλαδὴ καὶ τἆλλα, ᾗ ἂ ἑκάστη ἴοι κατὰ τὰς αὐτῶν ὁμοιότητας τῆς μελέτης. *Eos quidem, qui ventri, petulantiæ, gulæ dediti, vitam egerunt; neque quicquam pensi, pudorisque habuerunt, decens est, asinorum formas, & ejusmodi brutorum subire. Qui verò injurias, tyrannides, rapinas præ ceteris sequuti sunt, in luporum, accipitrum, milvorum genera par est pertransire, similiter & in ceteris; abeunt enim & in genera quælibet, quibus in vita mores similes contraxerunt.* Hinc porculum, qui hìc exhibetur, eorum symbolum dixerim, qui ventri dediti, atque obscœnis flagitiis cooperti, dum vitam degerent, impuro huic ac lutulento animali similes omnino habiti fuere. Asinus vero imperitos & rudes designat, qui virtutes, doctrinarum cognitionem, & optimas disciplinas despectui habentes, soli auro inhiant, atque insatiabili opum divitiarumque cupiditate flagrantes, suas ipsi animas in bestias induunt. Mercurii autem simulacrum hìc ideo additum conspicimus, quoniam illius munus erat, animas ad Lethen fluvium deducere; quæ, postquam mille exactis annis crimina sua expiassent, ibi tandem oblivionis aquam hauriebant; ita ut prioris vitæ prorsus oblitæ, in corpora redire cuperent; ut Vergilius, Platonem secutus, innuit *:

Has omnes, ubi mille rotam volvère per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno;
Scilicet immemores supera ut convexa revisant
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.

Idem insuper Plato in Dialogo περὶ Καλοῦ, sive de *Pulchro* *, longe diuturnius tempus veterum malorum pœnis expendendis assignat, decem nempe millium annorum spatium. Quin alibi docet, insanabiles impiorum ac tyrannorum animas, quum expiari nequeant, ad Tartara illico detrudi, ubi perpetuo crucientur. Adeundus denique hac de re Dialogus X. *de Republica*, ubi Plato Heri fabulam exponit, qui in vitam rediisse fertur, ut de animarum post obitum fortuna, quoad earumdem in corpora bestiarum migrationem, testimonium perhiberet. Metempsychosis denique princeps Pythagoræ placitum seu dogma extitit, qui hominem, si vitam integram, & scelerum labe puram egisset, in novæ vitæ auspiciis in humanum corpus denuo demigrare docebat; sin autem vitiorum sordibus se inquinasset, ejus anima in efferas bestias sese induere putabat, veluti ursos, porcos, lupos, aliaque monstra deformia. Eadem ratione hac in tabula jumentorum alterum Lethæi fluminis aquam bibere conspicimus, quibus qui utuntur, præteritorum omnium oblivio eis subrepit: alterum verò ex amne prodiens ad Mercurium pergere, ut sibi, demta bruti, vitam & speciem hominis reddat. Atque in latere dextero hæc habentur.

* In Phæd. Edit. Francof. 1602. pag. m. 61. & seq.

* Lib. 6. Æneid. vers. 743.

* Qui inscribitur Phædr. Edit. Francof. an. 1602 p. m. 1223. C.

TA-

TABULA XV.

Reliquum nunc eſt, ut de ſuperiori pariter fabularum ordine, ſiniſtro in latere exiſtentium, nonnulla dicantur; in quo ſane, quum prima fabula deſideretur, ad imaginem ſecundam pergamus, quæ Tigridum venationem ob oculos ponit. Primùm itaque bini conſpiciuntur venatores, ſcutis longis protecti: quorum alter (*n.* 1.) catulum ex ſpelunca raptum alii venatori, equo inſidenti, (*n.* 2.) porrigit, qui eum excepturus manum extendit. Interea rapti fœtus mater cum impetu advolat, (*n.* 3.) omnemque rabiem in equum, de induſtria furori ejus expoſitum, evomit, ipſumque dilaniat. Duo inſuper conſpiciuntur equites, (*n.* 4.) qui duas ferociſſimas tigrides, eos inſequentes, eludere ſtudent curſu ad mare directo; ubi in navicula ad litus appulſa, addito ponticulo, (*n.* 5.) duo nautæ (*n.* 6.) eos excepturi manus extendunt.

Explicatis iis, quæ dextero in Latere habētur, nunc quædam de imaginibus ſiniſtro in Latere exiſtentibus dicuntur; in quo ſane prima Fabula deſideratur; altera verò pictura, quæ hic exhibetur, Tigridum venationem ob oculos ponit.

Venatorum mos eſt, ut tigrides, ipſos inſequentes velociſſimo curſu, remorentur, eis catulos raptos projicere, ſingulos tamen identidem, ut ſeſe in navem recipiendi ſpatium nanciſcantur. Qua de re hæc apud Plinium *: *Tigrin Hyrcani, & Indi ferunt, animal velocitatis tremendæ, & maxime cognitæ, dum capitur. Totus enim fœtus, qui ſemper numeroſus eſt, ab inſidiante rapitur, equo quammaxime pernici, atque in recentem ſubinde transfertur. Aſt ubi vacuum cubile reperit fœta, (maribus enim cura non eſt ſobolis) fertur præceps, odore veſtigans. Raptor, appropinquante fremitu, abjicit unum ex catulis. Tollit illa morſu, & pondere etiam ocyor acta remeat, iterumque conſequitur; ac ſubinde, donec in navem regreſſo, irrita feritas ſævit in litore.* Eamdem venationem Pierius Valerianus deſcribens, ait: *Donec venator, conſcenſa navi, vix duobus, & nonnunquam uno tantum catulo ablato, aufugiat, equo relicto, in quem illa, poſteaquam fruſtra toto litore frendens deſævit, omnem convertit ultionis ſævitiam, totumque diſcerpit.* Quod quidem ſatis clare hac in Tabula expreſſum patet, in qua tigris ira incenſa equum adoritur, de induſtria a venatoribus relictum, ut, ipſis fugientibus, mora feræ injiceretur. Mare autem, quod hìc depictum cernitur, forte Caſpium dixerim, ab Oriente alluens Hyrcaniam, quæ regio tigribus frequens eſt. Hinc Poetæ ſæpe tigres *hyrcanas*, & *caſpias* vocant; quamvis Hyrcania, quà a Meridie Armeniæ confinis eſt, hujuſmodi feris æque abundet. Quæ vero ſit cauſſa, cur hìc tigridum venatio depicta appareat, deinceps exponemus, in alia ſcilicet Tabula, quæ tigridum itidem venationem exhibet; ſed in qua hujuſmodi feræ objectis ſpeculis deluduntur *.

* *Natur. hiſtor. Lib. 8. cap. 18. ſect. 25.*

* *Tab. XXVIII.*

TABULA XVI.

Tertio in ſpatio ſeſe offert conſpicienda Herculis fabula, qui (*n.* 1.) duce Mercurio (*n.* 2.) ab inferis redux Cerberum, (*n.* 3.) tribus catenis vinctum, ad ſuperas auras trahit; qua de re hæc apud Senecam habentur in Tragœdia, quæ *Agamemnon* inſcribitur *:

Poſt Tigridum venationem conſpicitur Fabula Herculis, qui duce Mercurio Cerberum ad ſuperas auras trahit.

Tractus ad cœlum Canis Inferorum
Triplici catena, tacuit, nec ullo
Latravit ore, lucis ignotæ
Metuens colorem.

Tænari ſpelunca, qua ad Umbrarum regnum aditus patet, atque hìc expreſſa, (*n.* 4.) ab eodem Poeta ſic deſcribitur *:

Heic ora ſolvit Ditis inviſi domus,
Hiatque rupes alta, & immenſo ſpecu
Ingens vorago faucibus vaſtis patet,
Latumque pandit omnibus populis iter.

Quod ad Mercurium attinet, qui præit, atque Herculem deducit, ad rem eſt, quod idem Hercules apud Euripidem, in ſæpius laudata *Alceſtidis* Tragœdia, ait, Plutonem alloquens:

Hunc quidem ego ſubduxi, & traxi ex Inferis,
Mercurius autem me ducebat, atque caſta Minerva.

* *Chorus Act. 4. in fin.*

* *In Herc. fur. act. 3. Verſ. 73.*

TABULA XVII.

Ordine quarto est Tabula Europæ, quæ a Jove in taurum converso rapitur.

PRoxime allatam Herculis fabulam videre est depictam Europam, a Jove in taurum converso raptam. Quam sane fabulam non solum Theocritus, sed etiam Ovidius, Lucianus, & Achilles Tatius narrant; eaque hìc in sepulcro expressa esse videtur propter Minoem & Radamanthum, Inferorum judices, quos ex Jovis & Europæ concubitu natos esse, fabulantur, de qua hæc laudatus Ovidius *:

Præbuit ut Taurus Tyriæ sua terga Puellæ
Juppiter, & falsà cornua fronte tulit:
Illa jubam dextra, læva retinebat amictus,
Et timor ipse novi causa decoris erat.
Aura sinus implet, flavos movet aura capillos,
Sidoni sic fueras adspicienda Jovi.

*Fast lib. 5. vers. 605.

TABULA XVIII.

Postremo in spatio depictum cernitur Deorum Manium sacrificium.

QUod ad pictam postremo in spatio Tabulam attinet, in ea laureatum Imperatorem, in suggestu sedentem, læva manu extensa, conspicimus; quemdam pariter Adolescentulum, qui super ara ollam detinet. Dextrorsum autem Mulier quædam coronam porrigit; Aliaque exadverso, cui caput fasciola circumligatur, aversa facie, læva manu nescio quid indicat. Quid sibi velit Imperator, me latet; reliquæ tamen figuræ morem Veterum, Deos Manes venerandi, significare videntur. Solebant enim illi *præfari & adorare Manes*, quum, cineribus in olla conditis, mortuis bene precarentur hisce verbis: *Vale, vale, vale*; vel *Salve & vale*. Hinc vetusta sepulcrorum monumenta tribus hisce literis inscripta esse animadvertimus D. M. S. nempe *Diis Manibus Sacrum*. Quæ sane Veterum consuetudo jampridem omnibus patet; quam etiam Mulier, sive Præfica, manu aliquid indicans, adumbrare videtur, quum præsertim monumentum, in quo condebatur urna, a tergo conspiciatur. De coronarum usu, aliisque sepulcralibus ornamentis deinceps verba faciemus *. Sunt etiam, qui sacrificium hujusmodi ad Virginem aliquam, Christianæ legis asseclam, putent referendum, quæ sub aliquo Ethnicorum Imperatore cruciatus ac mortem passa fuerit. Sed quam recte, videant alii.

* In fin. Tab. 35. 9. Verum.

TAB. IV. Paucis exponuntur ornamenta, & picturæ in monumenti capite, ac supra Ovidii Loculum existentes.

Expositis lateralium parietum imaginibus, reliquum est, ut Monumenti caput, sicuti illud in Tabula IV. superius delineatum exhibuimus, quæque supra Ovidii loculum, atque utrinque depicta cernuntur, impensius consideremus. In hujus itaque Loculi peripheria duo Victoriæ simulacra effìcta conspiciuntur, quæ sibi mutuò coronas ex floribus consertas porrigunt. (*n.* 2.) Utrinque verò bini depicti sunt Genii cœrulea chlamyde amicti, & florum calathos tenentes, rubra in area inter corinthias parastaticas columnas, (*n.* 3.) æque ac in aliorum Loculorum ordine superius adnotavimus. Supra hujusmodi columnas pulcherrima gypsea ornamenta visuntur, quæ sane ornamenta, excavata in topho, dimidia luna, non tamen proxime, excipit; (*n.* 4.) in cujus medio nonnulla florum serta rubri ac cœrulei coloris ex filo dependent, quibus intermixtæ sunt rosæ. Infra eamdem lunam, in laterculo, viridi coloris encarpa in area violacea cernuntur, quibus intermedius conspicitur Nummus (*n.* 5.) cum capite laureato, quem Ovidii imaginem exhibere, haud a fide abhorret; quoniam autem color jam evanuerat, imaginem hanc integram & perfectam lectorum oculis subjicere nequivimus. In lateribus dextera & sinistra, quadrato in laterculo, binæ cum suis ornamentis depictæ sunt fabulæ, quarum Una Pegasum cum tribus Nymphis, quæ illum detergunt, exhibet: (*n.* 6.) Altera vero OEdipum, qui Sphingi respondet. (*n.* 7.) De quibus modo acturi sumus.

TA-

TABULA XIX.

FAbulæ ferunt, Sphingem monſtrum fuiſſe, quod in agro Thebano, ſcopulo viæ imminenti inſidens, & ſermone humano præditum, viatoribus obſcuriſſima ænigmata proponere conſueſſet; ea lege atque omine, ut, qui ea interpretari & diſſolvere non poſſent, a Sphinge dilacerarentur; & viciſſim, ſiquis ea enodaſſet, ipſa Sphinx morti daretur. OEdipus igitur illac iter faciens, ſoluto ænigmate, Sphingem vicit. Ænigma vero fuit hoc: *Quodnam animal mane quadrupes, meridie bipes, veſperi tripes eſſet*. Cujus ænigmatis nodum OEdipus ita diſſolvit, ut animal iſtud hominem eſſe diceret, qui in infantia ſua tenerum & imbecillum corpus regere quum non valeat, manibus pedibuſque repens veriùs quam incedens, *quadrupes* eſt. Deinde robuſtior factus, ut qui nullo alio quam pedum adminiculo nititur, *bipes*; Donec tandem confectus annis, & deſertus viribus, baculo innixus, *tripes* evadit cupularius ſenex. Quam ſolutionem illa tam ægre tulit, ut ſe ſtatim de ſaxo præcipitarit. Hinc ſumſit originem adagium in Terentiana Andria *, *Davus ſum, non OEdipus*, quum illud vellet ſignificare, hominem ſeſe rudem eſſe, & ad intelligenda obſcuriora ænigmata minime idoneum. Fabulæ hujus ſenſus ſatis apte exprimit vitæ humanæ conditionem, quæ quum multis ſit obnoxia imbecillitatibus, multiſque ſubinde jactetur incommodis, quietem tandem in ſepulcro invenit. Præterea hìc Sphingem ſaxo inſidentem conſpicimus, cui ſunt alæ inſtar aquilæ, pedes leonis, vultus & pectus virginis. Brachium & manum OEdipum verſus extendit; qui in via, poſtquam ex equo deſiluit, Monſtrum intuetur, ſeſeque ad audiendum & ſolvendum ænigma parat. Læva manu haſtam detinet; dextera vero ad os admota, quod reſponſum reddat, meditatur. Nudum ejus corpus pallio violaceo amictum eſt, quo habitu Heroes effingi ſolent. Equum ejus, a tergo ſtantem, armatus Satelles regit & ſiſtit.

Binæ, quæ ſequuntur, Fabulæ in lateribus, in eodem monumenti capite depictæ apparent; atque hæc quidem exhibet OEdipum Sphingi reſpondentem.

* *Act. 1. ſc. 2. verſ. 29.*

TABULA XX.

DExtero in latere Pegaſus, celſa cervice eminens, exhibetur, quem tres Nymphæ aquis tergunt & mundant. Harum una cernua illius pedes abluit: altera vero urnam tenens eidem blande palpatur, atque illum rore aſpergere videtur: ſicuti & tertia, quæ a tergo conſiſtens itidem tenet urnam, vel vas aquarium; omneſque ſunt frondibus paluſtribus redimitæ, ac ſuperne denudatæ. Hujuſmodi autem imago vel Auroræ equum, quoniam collum roſis præcinctum habet, vel Pegaſi ortum juxta paludem Tritoniam indicare poſſet. Verum ego rationibus, quas ſupra * adduximus, impellor, ut hìc Nymphas Elyſias, ac translationem Heroum in loca illa beata denotari, exiſtimem. Finxerunt autem Poetæ, Solis equos nutriri ab Horis, qua de re nobis quædam dicenda ſuperſunt in fine, ubi Pegaſum Solem ſignificare contendimus. In hac inſuper, atque XI. Tabula tres depictas Nymphas videmus, quæ in lapidibus habitu & forma Gratiarum exhibentur, frondibus paluſtribus redimitæ, & urnas manibus tenentes. Gratiæ quidem & Nymphæ, uti ſæpe aliàs, ita etiam in Veneris choro a Poetis junguntur.

Altera depicta Fabula in latere dextro in eodem monumenti capite, in quo ſane Pegaſus Auroræ, quem tres Nymphæ aquis tergunt, Solis ſymbolum.

* *Tab. IX. & XI.*

Explicata Monumenti inferiore parte cum fabulis ejus atque ornamentis, reliquum eſt, ut ob oculos omnium ponamus fornicis ſive ſuperioris apſidis varias itidem Fabulas variaque ornamenta, quæ, æque ac priora, ad rem funeream pertinent.

TABULA XXI.

TEſtudinis longitudo in amplam atque laxam quadrationem, quæ medium ſpatium exornat, ac in duo capita diſcreta eſt, quæ ſupra coronidem ſeſe incurvant; ut non obſcure hæc Tabula, ejuſque coronides, præſeferunt, quæ utrinque conſpiciuntur. In altero capite, quod *A* litera indicat, pictu-

Ornamenta & picturæ teſtudinis in monumento, deſcribuntur accuratius.

ctura integra ac minime læsa reperta fuit; in altero verò, quod januæ imminet, & litera *B.* designat, temporis injurià corrupta est; ex eo enim picturæ unà cum parte tectorii quadraturæ majoris, quæ in medio est, deciderant; idque ea de causa, quod humoris & aeris injuriæ magis fuerat obnoxia. Notatur in hac Tabula, adscripto titulo, locus ille, quem longi ævi inclementia ornamentis suis expoliavit.

Jam verò quadrata in Tabula, quæ media est, atque in ipso testudinis centro, depictus est Pegasus alatus intra circulum sive orbem, quem ornamenta gypsea in modum coronæ præcingunt. (*n.* 1.) In hujus autem circuli ambitu quatuor encarpi in hemicyclum curvati conspiciuntur, quibus interfitæ sunt figuræ exiguæ, Deum Terminum exhibentes; a quibus binæ rosæ, incurvæ, & leviter a summo inflexæ, in diversum exeunt. Hic insuper circulus intra octangulum concluditur: (*n.* 2.) Cui a quatuor lateribus contigua sunt quatuor quadrata, diversorum animalium venationes exhibentia. (*n.* 3.) Venationes excipiunt quatuor alia spatia quadrata, paulo longiora; quorum tamen anguli extremi ab angulis quadrati majoris in quatuor lateribus franguntur ac terminantur. In hisce autem singulis spatiis duæ depictæ sunt figuræ, tres circiter palmos & dimidium altæ (exacta ad morem nostri temporis mensura) a quibus quatuor anni tempora expressa videre est. (*n.* 4.) Præterea in intervallis, quæ spatiis hisce interjecta sunt, quatuor lunæ dimidiatæ, sive hemicycli, singuli tamen in singulis testudinis lateralibus spectantur. (*n.* 5.) Hemicycli laterales singuli duas complectuntur figuras. Ex iis autem, qui in cameræ capitibus exstant, unus decidit, alter vero superstes adhuc hortum septum cum duobus cervis, quos canes insequuntur, exhibet. In spatiis denique, quæ inter hujusmodi hemicycla media sunt, nonnulla depicta animalia conspicimus, veluti boves, capras, & canes, (*n.*6.) quæ ad anni tempora spectare videntur.

Atque hæc de testudinis ornamentis generatim atque universe a nobis dicta sunt; modo verò singillatim de omnibus verba faciemus.

TABULA XXII.

Eadem ornamenta singillatim ob oculos ponuntur. Ac primo quatuor anni tempora depicta apparent, de quibus dicturi, omnium primum Ver hic exhibemus.

DE Apsidis ornamentis dicturi, a quatuor anni temporibus initium faciemus; quibus omnibus Ver præcedit longe, quod a latere dextero exhibetur, atque ingredientibus, & cameram suspicientibus e regione oppositum est. Conspicitur nimirum Nympha in numerum cum juvene Pastore ludens; quæ manuum altera calathum florum, ex juncis textum, præfert: altera vero florem ex caule decerptum retinens. Nudus cum ea saltat pastor, capram collo gestans, cujus pedes altera manu stringit: altera vero pedum, sive aduncum baculum pastoralem, cujus usus est in pedibus caprarum & aliorum pecorum retinendis.

Ad hanc rem scribit Plinius, capras concipere mense Novembri, & parere mense Martio, Vere ineunte: *Concipiunt*, inquit ille, *Novembri mense, ut Martio pariant, turgescentibus virgultis*. Tunc nimirum, quum revirescunt horti & campi, capellæ lacte replentur, & fœtus enituntur. Hinc est, quod in sepulcralibus, aliisque marmoribus, quibus eædem anni Horæ incisæ apparent, ad pedes Veris conspicitur capra, vel caprimulgus, qui ejus ubera premit. Hujus denique Nymphæ stola, sive tunica sine manicis, est oblonga & talaris, violacei coloris, quam fibula pectori subnectit; amiculum verò, quod ab humeris demissum in sinu complicatur, flavi coloris est. Quibus sane figuris interjecta surgit Pyramis, rosis extructa; surgit autem ex quodam vasculo, foliis & floribus ornato: idemque ornamenti genus in tribus etiam, quæ sequuntur, Tabulis occurrit.

TA-

TABULA XXIII.

PRoximo in angulo Æstatem expressam conspicimus; quæ veluti formosa ac venusta Nympha itidem cum Pastore saltat. Superne autem denudata, inferiori corporis parte flava tunica operta est, quæ fere ad plantas usque descendit. Hujus Nymphæ actio perjucunda visu est, quæ pectore ac sinu denudato, & manuum altera super caput elata, amiculi violacei, vel recinii limbum retinet, quod a vento leniter aspirante sinuatum, in alterum brachium rejicitur. Pastori autem caput serto spiceo redimitum est, & dum saltat, Nymphæ poma æstiva in canistro offert. Nudus est, nisi quod a tergo ejus pallium coloris flavi dependet.

Proxime Æstas conspicitur, de qua hac Tabula verba facimus.

TABULA XXIV.

IN altero Cameræ capite, e regione Veris, exhibetur Autumnus; Pastor nempe choreas ducens cum Nympha, quæ corbulam læva manu sustinet, dextera vero uvarum racemos in illam immittit: alterum humerum, brachium, & crus nuda gerit: reliquam vero corporis partem stola rubra velat. Pastor, qui cum ea saltat, duos gestat cophinos, racemis refertos, alterum ex baculo supra humerum, alterum vero ex manu suspensum.

E regione Veris Autumnus exhibetur, de quo hæc Tabula.

TABULA XXV.

QUatuor Horarum novissima est Hyems, e regione Æstatis depicta; quam repræsentat Senex cano capite, & gravis annis, qui in saltando pedes vix diducere & movere videtur. Amictus est laxa toga, coloris violacei obscurioris, quæ in sinum multis crispulis subtracta succingitur, quæque ad talos usque fluit effusa; calceisque indutus est, ligula constrictis. Est illi insuper cœruleum amiculum, quod fibula collo innectit; idque non solum brachium ejus, sed etiam caput fronte tenus obnubit, atque adversus frigoris sævitiam tutatur. Ex læva manu anatem, avem aquaticam, suspensam gerit; dextera vero cannam palustrem præfert. Utrumque Hyemis symbolum est. Seni exadversum Nympha cannis redimita saltat, & ambabus manibus aliam anatem complectitur, & sinu fovet. Quæ sane Nympha duplici veste induta est: quarum superior violacea est & brevior, quippe ad medium tantùm femur pertingens: inferior verò flavum colorem referens ad pedes usque descendit.

E regione Æstatis Hyems depicta erat, quam hæc Tabula exhibet.

Verùm ad hasce quatuor Horarum anni Imagines illustrandas, Veteris Latini Poetæ epigramma huc adscribere abs re minime erit.

> *Carpit blanda suis* Ver *almum dona rosetis:*
> *Torrida collectis exultat frugibus* Æstas:
> *Indicat* Autumnum *redimitus palmite vertex:*
> *Frigore pallet* Hyems, *designans alite tempus.*

Ex quo sane, alitem, quæ postremo in versu dicitur designare Hyemem, non aliam esse, quam anatem, avem aquaticam, intelligimus. Profecto in arcis sepulcralibus, in quibus quatuor anni Horæ, adolescentum vel puerorum specie effictæ sunt, postremo quidem loco Hyems conspicitur, habitu Phrygio induta, ocreis ad dimidium usque crus productis munita, & pileo replicato tecta. Qui sane adolescens Ganymedem exhibet, quem quidam Aquarium esse volunt, ut Hyginus *, & Cajus Cæsius Bassus * testantur; quorum postremus hæc ait: *Porro Aquarius nomen accepisse dicitur, quod ejus exortu imbres plurimi fiant. Quidam volunt Ganymedem eum esse, Troili & Calliores filium, qui, quum in Ida monte versaretur, ob eximiam pulchritudinem a Jove adamatus, & per Aquilam raptus, inter astra est collocatus: Dehinc Aquarius dictus est, quod undas funderet.* Eaque est ratio, cur aves aquatiles adscribantur Hyemi, quemadmodum ex hujusmodi imagine minime obscure patet.

* *In Astronom. Poet.*
* *In Phænom. German. Cæsar.*

TABULA XXVI.

Quatuor Anni tempora quatuor depictæ venationes excipiebant, ut Ver fane Cervorum venationem adjunctam habebat, quam hic exhibemus.

SUpra quatuor anni Tempora, quatuor pariter Venationes depictæ apparent; quarum fingulæ fingulis hifce annuis Horis accommodatæ funt. Ver fane cervorum venationem adjunctam habet, quam modo exhibemus; in ea autem duo cervi confpiciuntur, mas alter, ramofis cornibus infignis: alter fœmina, cornibus carens. Præterea duo Venatores depicti funt; quorum unus lorum laxat cani: alter, juxta fepem confiftens, venabulum protendit.

TABULA XXVII.

Æftati adjuncta erat venatio Leonum, de qua hac in Tabula.

LEonum venatio, quæ hac in Tabula fefe offert confpicienda, Æftati addita eft. Nimirum Venator fupinus humi jacens, oblongo fcuto fefe obtegit, atque adverfus Leonis violentiam fe tutatur, qui eum pedibus comprimit, ungulafque ad eum dilacerandum veluti diftringit. Hoc interim fubterfugit alius, clypeo poft tergum objecto, fui tutandi gratia. Alii verò ab alio latere in genu fe fubmittentes, teftudinis more, confertis fcutis, Leonem magno impetu in eos irruentem excipiunt.

TABULA XXVIII.

Tigridum venatio, quam hæc Tabula præfert, Autumno appicta fuit.

AUtumno elegantiffimam Tigridum venationem appictam cernimus hac in Tabula expreffam; in qua fane Tigres fpeculis delufæ apparent, quibus venatores utebantur, ut fæviffimas hujufmodi feras, quum ipfos rapido curfu infequerentur ad raptos catulos recuperandos, retardarent. Relictis enim in via uno pluribufve fpeculis, Tigres vana imagine deceptæ curfum inhibent; fpatiumque dant venatoribus, qui velociffimis equis feruntur, ut fefe ad litus five in navem recipiant; quod egregie confirmat Claudianus, furorem Cereris, raptam Proferpinam quærentis, cum Tigride comparans *:

Arduus Hyrcana quatitur fic matre Niphates,
Cujus Achæmenio Regi ludibria natos
Avexit tremebundus eques; fremit illa marito
Mobilior Zephyro, totamque virentibus iram
Difpergit maculis, jam jamque haufura profundo
Ore virum, vitreæ tardatur imagine formæ.

Tigridem autem hìc videre eft, quam falfa fui imago ex fpeculo reddita deludit, ac remoratur. Speculum quadratæ bafi applicatum cernitur, qua fuper bafe ftans Venator fcuto tectus, & genu nixus, ad Tigridem feriendam haftam vibrat; quem propter tres alii Venatores adfunt, arcte invicem juncti, genua itidem flectentes, haftifque & fcutis armati. Alii fex ab altero latere ftantes, clypeis condenfatis & invicem junctis, veluti teftudine facta, fe tegunt; quorum tamen unus Tigridem humi procumbentem hafta ferit. Hac autem in Tabula Tigres incitato curfu, ut raptos catulos recuperent, minime feruntur, uti fuperiùs vidimus *; fed potius Venatores, ut illarum pellibus potiantur, eas hoc fpeculorum ludibrio deceptas vel capere vel occidere velle videntur.

* Lib. 3. de Rapt. Proferp. ver. 263

* Tab. XV.

TABULA XXIX.

Quum nullū venationis ad Hyemem pertinentis veftigium fupereffet, Apri venatio fuffecta eft.

VEnationis ad Hyemem pertinentis nullum amplius fupererat veftigium, quoniam pictura unà cum tectorio deciderat; fed quum in vetuftis marmoribus huic anni Tempori Aper adtribuatur, eorumdem Aprorum venationem in deficientis locum fuffecimus, quam ad pulcherrimæ picturæ antiquæ

ex-

exemplar hìc expressam omnium oculis subjicimus; Quæ sane pictura ad Montis Cœlii radices, qua Amphitheatrum Flavium spectatur, in hortis Sertoriorum, anno MDCLXXIII. inventa est; præter hanc aliæ quoque repertæ fuerunt picturæ & imagines antiquæ, quæ coloribus suis vestitæ, unà cum istac, quam attulimus, in supralaudato Cardinalis Camilli Maximi libro exhibentur.

TABULA XXX.

Inter quatuor anni tempora quatuor conspiciebantur hemicycli, in quorum altero Cervorum venatio intra locum septum exhibebatur.

INter quatuor parallelogramma, quibus anni Tempora depicta continentur, quatuor sese offerunt hemicycli, in quorum altero, qui in Cameræ fronte expressus apparet, sepimentum quoddam ex cannis contextum cernitur; duo præterea adsunt xysta, vitium ordinibus distincta, atque ad subdiales ambulationes constructa. Intus duo cervi, quasi vivario inclusi, canem ac duos Venatores, qui eos persequuntur, levi cursu eludunt. Alii duo cum hastis septa egrediuntur: ac duo ipso in ingressu consistunt.

Altero in semicirculo, qui e regione Monumenti januæ imminet, nulla supererat pictura, quippe quæ vetustate temporis deciderat, ut ante indicatum, ac Tabula XXI. expressum apparet.

TABULA XXXI.

Alter sinistri lateris semicirculus figuras ad Veris tempus pertinentes præseferebat.

TErtio in hemicyclo, præcedenti opposito a latere sinistro, Vir quidam assidet superne denudatus coronatusque frondibus, & manu dextera poculum corneum præferens; Nympham lævo indice demonstrat, quæ ei seminuda adstat. Illa sane manuum alteram rosis & frondibus plenam lateri admovet: altera verò calamum detinet, cannis palustribus capillos cingentibus. Utrinque insuper conspiciuntur encarpi, sive florum & frondium implexus. Hujusmodi autem Imago ad Veris tempus referenda est.

TABULA XXXII.

In postremo a latere dextero hemicyclo (ex quatuor enim alterum edax tempus absumserat) figuras ad Autumnum pertinentes videre erat.

IN hemicyclo, a latere dextero depicto, stantem Adolescentulum videre est prope nudum, nisi quod palliolum est illi ab humeris destrictum; dextera autem pastorale pedum detinet: altera verò uvarum racemum gestat. Et exadversum fœmina assidet sive Baccha, hastæ seu thyrso innixa, pendentibus utrinque intra loculum, ornatùs gratia, encarpis, ut proxima in Tabula innuimus. Hæc autem ad Autumnum pertinere dixerim.

Explicatur, quidnam caussæ fuerit veteribus, cur anni Tempora monumentis appingerent.

Hujusmodi præterea Imagines in hisce semicirculis, similesque aliæ, encarpis ornatæ, procul dubio anni Temporibus respondent; iisque idem subest sensus, quem mox proferemus, ut ostendamus, quidnam sibi Veteres voluerint, qui hujusmodi anni Tempora monumentis appingerent. Sane in sarcophagis, utì & in aliis lapidibus ac nummis, quatuor anni Temporum signa expressa sæpe reperiuntur, idque ad temporum felicitatem ac prosperitatem indicandam; hinc in aversis numismatum partibus sæpe hæc legitur epigraphe: TEMPORUM. FELICITAS. = * FELICIA. TEMPORA. Hæc profecto quatuor anni Tempora quatuor Pueris exhibentur, quibus eadem sunt addita symbola, quæ hìc videmus expressa. Quamvis autem in Nummis quatuor horum Temporum imagines Imperii felicitatem designent, qua Romani sub optimis Imperatoribus perfruebantur; in sepulcris tamen effictæ, beatæ vitæ symbolum erant, quam Animæ puræ, nullisque pollutæ sordibus, in Campis Elysiis agebant, donec fatali temporum orbe circumacto in vitam denique redirent; ut deinceps innuemus, quum de Pegaso, tamquam symbolo Solis, qui temporum motùs auctor est, agemus. Quibus omnibus accedit, quod Horæ, quæ portarum cœli custodes erant, a quatuor anni Temporibus nullo pacto dissimiles fuere, quin eas aliquando ex in-

* *Apud Vaill. in Numismm. Hadriani, Commodi, aliisque.*

inferis animas reduxisse accepimus; quemadmodum de Adonide Theocritus commentus est, quem Horæ, ex Orco revocatum, ad Venerem reduxerunt; hæc enim cecinit *:

Οἷόν τοι τὸν Ἄδωνιν ἀπ' ἀενάω Ἀχέροντος
Μηνὶ δυωδεκάτῳ μαλακαίποδες ἄγαγον Ὧραι.
Qualem tibi Adoniden e perenni Acheronte
Mense duodecimo reduxerunt mollipedes Horæ.

* Eidyll. ii. vers. 100.

Quæ caussa est, quare inter sepulcrales imagines Horæ pariter conspiciantur.

Apsidis descriptio absolvitur, ac præcipue de partitionibus in capite Cameræ depictis.

Verùm ut Apsidem absolvamus, ad partitiones in capite Cameræ depictas nobis redeundum est, quos Tabula XXI. exhibet. (A) Caput itaque illud in tres quadraturas divisum conspicitur; quarum altera, & major quidem, media est, duabus aliis utrinque dispositis, interductis etiam lineis, quæ illas variis coloribus distinguunt. Majore autem in quadrato aliud minus inest, in quo duo Bacchantes & saltantes depicti apparent. (*n.* 7.) Illud insuper circulus, sive sertum laureum ambit, (*n.* 8.) quod quatuor interpositæ tesseræ dirimunt: (*n.* 9.) Duæ quidem tesseræ, quarum una superiorem, altera inferiorem circuli partem obtinent, orbiculum quoddam complectuntur, in quo duæ iusunt aquilæ, quæ coronas laureas unguibus detinent: In duabus verò tesseris utroque ab latere duo vasa conspiciuntur, quorum pedes encarpis utrinque ornantur. In quatuor præterea spatiis, quæ inter circulum & quadratum majus interjacent, duo Victoriæ simulacra, duosque Genios, alternis dispositos, atque encarpis circumdatos, videre est. Victoriæ quidem simulacra aligera, altera manu palmæ ramum, altera coronam de more præferunt. Genii itidem alati, at nudi, dextera calathum, sinistra verò cornucopiæ sustinent. In duobus denique utroque ab latere quadratis depictæ cernuntur fabulæ, scapis rosarum utrinque assurgentibus, in quorum altero judicium Paridis exhibetur: in altero equus, qui vado flumen transit: De quibus modo acturi.

TABULA XXXIII.

Cameræ caput in tres quadraturas divisum conspiciebatur, quorum altero, & quidem medio, duo Bacchantes erant depicti.

MEdio igitur in Quadrato, ut innuimus, duo Bacchantes depicti sunt, qui quatuor anni Temporum saltatiunculam imitantur. Nudus quidam Juvenis altera manu thyrsum, sive ferulam gerit: altera verò supra caput elatam gestat patinam carne plenam, vel aliud nescio quid; oculis enim satis discerni nequit, coloribus vetustate temporis deletis & consumptis. Nympha, qua cum ipse ludit in numerum, brachio tympanum detinet, idque altera manu pulsans, cum Juvene bacchante saltat. Veste induta est oblonga, & ad talos usque demissa, habetque a tergo amiculum, quod ventorum flatu distenditur, & in sinum curvatur.

TABULA XXXIV.

In altero dexteri lateris quadrato Paridis judicium exhibebatur.

HÆc Tabula, minori in Quadrato dexteri lateris existens, Paridis judicium exhibet. Paris autem, quod neminem latere puto, Priami Trojanorum regis, & Hecubæ filius fuit; cujus matri, quum illa se facem ardentem parere somniasset, conjectores responderunt, fore, ut filius, quem in utero gestabat, caussa esset Trojani excidii: Qua re cognita Priamus puerum, ubi primùm fuit natus, Archelao servo exponendum tradidit; contra Hecuba curavit, ut furtim nutriretur a pastoribus in Ida monte. Hìc quum adolevisset, quumque in dirimendis controversiis esset æquissimus, maximam justitiæ famam sibi comparavit, adeo ut, orta inter Deas Junonem Palladem & Venerem disceptatione de forma ob aureum pomum a Jove cœlitus demissum, in quo scriptum erat, *Detur pulcherrimæ*, judex ab iis fuerit constitutus. Quæ quum ad eum accessissent, ipse secundum Venerem sententiam tulit, quæ pulcherrimam fœminarum sibi promiserat: neglecto regno, quod pollicebatur Juno: & contemta, quam Pallas offerebat, sapientia.

In

In primis itaque Paris hic conſpicitur inſidens ſaxo ad ripam Simoentis, vel alterius fluvii montis Idæ. Habitu indutus eſt paſtorali, *Baculumque tenens agreſte ſiniſtra* *: pileolo phrygio tegitur, paſcentibus circa eum bobus & armentis. Propter Mercurius adſtat, qui ei pomum tradit, ut illud pulcherrimæ trium Dearum reddat; Paris vero ad pomum accipiendum dexteram porrigit & aperit. Non procul ab altera ripa Pallas, Juno, & Venus conſident, quas pictor non abſque ingenioſo artis luſu ita expreſſit, ut quæque Amorem orare videatur, ut Paridi benevolum erga ſe animum inſpiret, eumque præmiorum deſiderio incendat, quæ ipſarum ſingulæ in eum conferre valent. Omnium prima Pallas de more galeata manuum alteram ſcuto imponit, qua ſimul haſtam detinet: altera vero Amorem amplectitur, blanditiiſque adhibitis rogat, ut Paridis animum amore ſapientiæ & fortitudinis inflammet. Proxima ſedet Juno, diademate ornata, cui amiculo, ſive rica ſupra humerum pendente, caput fronte tenus obvolutum eſt: altera manu haſtam tenet: alteram apertam ad Cupidinem protendit, eumque rogare videtur, ut Paridi immenſas opes promittat, eique ingens divitiarum & potentiæ deſiderium injiciat. Tertia eſt Venus, quæ itidem diademata, aperto tamen capite, haſtam tenet; ſed pro auctoritate materna arrecto digito filio quaſi præcipit & imperat, ut Paridem ſpe potiundæ Helenæ, fœminarum formoſiſſimæ, & divina origine creatæ, illectum, ad dandum ſibi pomum tamquam pulchritudinis præmium adducat. Hæc inter alatus Puer Palladi proximum aſtans digitulo Mercurium indicat, qui regio Paſtori in adverſa ripa pomum porrigit. Præterea omnes tres Deæ hujuſmodi haſtam puram, quæ eſt divinitatis inſigne, præferunt.

* *Ovid. Lib. 15. Met.*

Cur Paridis judicium hic expreſſum fuerit.

Quum autem Veteres ſibi perſuaſerint, magnam eſſe Veneris potentiam, eamque ipſam ad Campos Elyſios amantes deducere, ut innuit Tibullus *:

Sed me, qui facilis tenero ſum ſemper amori,
Ipſa Venus Campos ducat in Elyſios:

hæc fortaſſe cauſſa fuit, cur hìc Paridis judicium expreſſum videmus; quippe ex quo illa pulchritudinis gloria illuſtrior evaſerit.

* *Lib 1. Eleg. 3. verſ. 57.*

TABULA XXXV.

In tertio ſiniſtri lateris quadrato fabula obſcura & ignota conſpicitur.

IN altero quadrato minori ſiniſtri lateris equus exhibetur, quem agreſtis homo ſecundum ripam ſequitur. Ei exadverſo haſtatum Simulacrum ad rupem erectum conſpicitur. Quod ſane ſtatuam ſepulcralem dixerim, quæ a veteribus a fronte ſepulcri ſecus viam erigi ſolebat. Obſcurum autem mihi imaginis hujus ænigma videtur; quare * *OEdipo eſt conjectore opus, qui Sphingi interpres fuit*, cui illud conjectare lubens relinquo.

* *Plaut. in Pæn.*

Quædam de Pegaſo, in ipſo centro apſidis depicto, differuntur.

Nunc reliquum eſt, ut de Pegaſo nonnulla dicantur, quem ſupra innuimus *; quemque in ipſo centro apſidis intra circulum ſive orbem, quem ornamenta gypſea coronant, depictum conſpeximus. Quamvis autem ante in ea fuerimus ſententia, ut hujuſmodi alatus equus indicaret, Heroum animas in Cœlum efferri, non ad Tartara demitti; nihilominus nobis perſuaſum eſt, eum hoc loco Solem repræſentare, veluti quatuor anni Temporum auctorem ac moderatorem, quæ ſane ſub ipſo ad quatuor latera coloribus expreſſa apparent. Erat revera Pegaſus ipſi Soli ſacer, ut velociſſimus ejus curſus, quo circulum anni percurrit, hoc ſymbolo indicaretur; quin ejus currus ab aligeris equis trahi fingebatur, teſte Ovidio:

* *Tab. XXI. n. 1.*

Sextus ubi e terra clivoſum ſcandit Olympum
Phœbus, & alatis æthera carpit equis.

Hanc tamen ſententiam egregie confirmat Gallieni numiſma, in quo Pegaſum videre eſt, adjecta epigraphe, SOLI. CONS. AUG. *Soli Conſervatori Auguſti*.

Quatuor anni Tempora, quæ, Sole curſum & circulum ſuum peragente, ſibi invicem perpetuò ſuccedunt, in arcis ſepulcralibus ſæpe reperiuntur expreſſa, ſpecie & forma puerorum, qui eiſdem, ac ſupra innuimus, ſymbolis, floribus nempe, ſpicis, pomis, & avibus aquatilibus ornantur. Verùm inter hujuſmo-

modi arcas ſepulcrales omnium maxime conſpicua eſt Arca in Familiæ Barbarinæ ædibus exiſtens; quæ ſane ſuis, quibus ornatur, figuris virtutem ac vim Solis in efficiendis regendiſque anni temporibus clare deſignat; quin etiam animarum felicitatem, qua perfruuntur interea, dum Sol annuum circulum & ſigna zodiaci percurrit, aperte indicat. In ea itaque quatuor inſculpti adoleſcentuli viſuntur, quibus eadem ſunt ſymbola atque indicia. Duo medii, Æſtas quippe & Autumnus, manuum alterà quiſque regit faſceam zodiaci, duodecim ſignis diſtìncti, in cujus medio rotundus ineſt circulus, qui duarum mulierum vita functarum imagines complectitur; idque illas immortales atque perpetuas eſſe indicat; Sol enim perpetuo tenore curſum ſuum peragit, atque de alio in aliud demigrans ſignum, diverſa efficit anni Tempora; donec tandem, plurimis annorum orbibus ab eo confectis, animas in vitam denuo redire ſibi Veteres perſuaſerant. Hinc eſt, quod in Veterum monumentis & lucernis ſepulcralibus Pegaſi ſimulacrum haud raro occurrit, quo animæ immortalitas indicatur, quam etiam Solis & Lunæ effigies innuebat; quoniam & Luna, horum ſyderum poſterior, æterna eſſe credebatur. Qua opinione imbuti Ægyptii, inſanas exſtruebant pyramidum moles, radii ſolaris inſtar in acumen deſinentes; eo quod Solem & Lunam, quæ duo ſydera Iſidis & Oſiridis nomine indigitabant, in omne ævum permanere ipſis fuerat perſuaſum. Eodem pacto Horapollini hujuſmodi ſydera Æternitatem itidem deſignare placet. Græci quoque & Romani eamdem ſequentes doctrinam, ſimulacro Solis Æternitatem adumbrarunt, ut ex monumentorum inſcriptionibus, & numiſmatibus patet.

Nonnulla adduntur de floribus, coronis, variiſque ſertis in hoc monumento depictis.

Verum, ut de his rebus diſſerendi finem tandem faciamus, pauca adhuc dicenda reſtant de floribus, coronis, variiſque ſertis, quæ tum in hoc, tum aliis in ſepulcris, picta & ſculpta reperiuntur. Nimirum pertinent ea ad veterum Romanorum conſuetudinem, a Græcis profectam; qui non ſolum cadavera coronis ornare, ſed etiam eorumdem ſepulcra floribus & roſis unguentiſque conſpergere honoris gratia quotannis conſuevere; hæc enim defunctis gratiſſima eſſe exiſtimabant. Quæ quidem conſuetudo increbuit paſſim, adeoque invaluit, ut quidam morituri heredes ſuos in Tabulis teſtamenti officii hujus præſtandi neceſſitate adſtringerent, quin ingentem pecuniæ ſummam in hanc rem teſtamento legarent. Quod non ſolum græci latinique Scriptores, ſed etiam inſcriptiones & ornamenta ſepulcralia aperte teſtantur; quæ ſane, ut hodieque ex antiquis monumentis conſtat, coronis, ſertis, frondibus, & floribus ornabantur. Neque ſolum præcipiebant, ut ſibi roſis & odoribus quotannis parentaretur; ſed etiam hortos, ſepulcris ſuis junctos, ſibi in eam rem comparabant, ut ex illorum reditibus largius eis hujus parentationis officia præſtarentur, quod ex ea, quæ ſequitur, & Torcelli viſitur * inſcriptione potiſſimum colligitur.

** Apud Kirchm. de Fun. Rom. Lib. 4. cap. 5.*

LONGIVS. PATROCLVS. SECVTVS. PIETATEM.
COL. CENT. HORTOS. CVM. AEDIFICIO. HVIC. SEPVL.
IVNCTO. VIVOS. DONAVIT. VT. EX. REDITV.
EOR. LARGIVS. ROSAE. ET. ESCAE. PATRONO.
SVO. ET. QVANDOQVE. SIBI. PONERENTVR.

Uſitata verò hac in re formula in Veterum inſcriptionibus eſt hujuſmodi: VT. QVOT. ANNIS. ROSAS. AD. MONVMENTVM. EIVS. DEFERANT. Roſæ nimirum præ omnibus aliis floribus in maximo habebantur pretio. Sed morem hunc ſalſe ridet Lucianus *: ſtolidos poſt mortem vocans eos, qui hoc pacto ab heredibus honorari vellent. Ἔνιοι δὲ καὶ στέφειν τὰς στήλας ἄνθεσιν, εὐήθεις ἔτι καὶ παρὰ τὴν τελευτὴν διαμένοντες. *Rurſum alii cippos ſive columnas quoque coronari ſertis præcipiunt, ſtolidi videlicet etiam in ipſa morte manentes.* Pindarus * tamen animas juſtorum in Inſulis Beatorum, coronis & floribus tamquam virtutum præmiis ornatos indicat.

** In Nigrino Edit. Baſil. Tom. 1. p. m. 63.*

** Olymp. od. 2. verſ. 28.*

ἔνθα μακάρων
Νᾶσον ὠκεανίδες
Αὖραι περιπνέουσιν. ἄν-
θεμα δὲ χρυσοῦ φλέγει,
Τὰ μὲν χερσόθεν, ἀπ' ἀ-
γλαῶν δενδρέων,
Ὕδωρ δ' ἄλλα φέρβει.
Ὅρμοισι τῶν χέρας ἀνα-
πλέκοντι καὶ στεφάνοις.

Ubi beatorum
Insulam Oceanitides
Auræ perspirant: flo-
resque aurei ardent,
Alii a terra, a pul-
chris arboribus alii,
Aqua autem alios alit:
Ex quibus factis monilibus manus im-
plicant & coronis capita.

Quemadmodum nos quoque Heroes in Campis Elysiis floribus coronatos supra exhibuimus *. Hunc denique morem imitati fuerunt Christiani, eumque probat Prudentius Hymno in defunctorum Exequiis, quem apud Kirchmannum * legere est, qui fuse hac de re agit.


*Lib. 4. de Funer. Roman. cap. 3.

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.


Hinc ratio patebit, quamobrem non solùm hoc Nasoniorum sepulcrum, sed alia bene tot florum & coronarum ornamentis referta comperiantur.

Explicit Pars altera.

INDEX TABULARUM.




TABULA · I ·




TABULA · II ·




TABULA III




TABULA IV.



TABULA·V.



TABULA·VI·



TABULA VII




TABULA·VIII·



TABULA·IX·



TABULA·X




TABULA·XI.



TABULA·XII·



TABULA XIII.



TABULA XIV.



TABULA XV.



TABULA XVI.

ALIA QUÆDAM
SEPULCRORUM
MONUMENTA,
AC
FERALIA NONNULLA
MICHAELIS-ANGELI CAUSEI

Operâ collecta ac animadverſionibus illuſtrata.

ALIA QUÆDAM SEPULCRORUM MONUMENTA,
AC
FERALIA NONNULLA

PROOEMIUM.



Vamquam Veteres Nasoniorum sepulcrales picturas Tabulæ, quas modo adjicimus, minime attingant; quum tamen ad mortuos pertinere omnibus pateat, quæ hisce in Tabulis exhibentur res, utpote ferales, quasque in quibusdam Veterum monumentis, quorum nonnulla hic ob oculos proponuntur, adinventas fuisse constet, eas proinde huic Operi adtexere alienum minime duximus; quas etiam animadversionibus illustrare par fuit, ut operis hujus ornatus copiosior exstaret; nullus licet in ipso clarissimi atque eximii ingenii Johannis Petri Bellorii perelegans stylus insit, ad cujus ingentem certè jacturam hæc Plinii Junioris verba apposite scripta esse videntur *. Acerba mihi semper & immatura mors eorum videtur, qui immortale aliquid parant; nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi caussas quotidie finiunt; qui verò posteros cogitant, & memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quæ semper inchoatum aliquid abrumpat.

* *Epist.5. Lib.5.*

TABULA I. ET II.

Frons Sepulcri incertæ cujusdam Familiæ.

NOnnulla inter delineamenta, quæ Petrus Sancti-Bartolus posteris reliquit, conspicuum hujusmodi monumentum occurrit, quod hisce Tabulis exhibemus; illudque sane, quum scitissimis picturis, cæmentitiisque operibus esset insignitum, Deorum potius Manium domicilium, quàm umbrarum specus dici debuisset. Omnes quidem latet, quænam familia eo fuerit usa, quum nulla in ejusdem delineatione inscriptio fuerit reperta, quæ illam indicaret; quum insuper, qui illud nobis delineatum reliquit, de ipsius cultu tantùm atque ornamentis exprimendis elaboraverit; nullam verò de ejusdem situ nobis fecerit mentionem, veluti monumentum hujusmodi cunctis antiquitatum perstudiosis ob famæ celebritatem notum esse deberet. Mitum profectò est, quod adeo insigne monumentum titulo caruerit: quum apud Veteres in more positum fuerit Sepulcris *Majorum Elogio nomen inscribere*, sicuti * Calpurnius innuit. Et Cicero *: *Nonne elogia monumentorum id significant?* Atque Poetæ hoc idem adtestantur; veluti Tibullus *:

Sed tristem mortis demonstret Litera caussam,
Atque hæc in celebri Carmina fronte notet:
Lygdamus hic situs est. &c.

Necnon Martialis *:

Quisquis læta tuis, & sera parentibus optas
Fata, brevem Titulum marmoris hujus ama.

Præterea hujus sepulcri facies inter celebrem delineamentorum collectionem penes olim Clementem XI. delineata exstabat, eodem prorsus pacto ac in Tabula I. Totum insuper cubiculum in saxum vel tophum insculptum apparet, ut in eadem Tabula videre est; ipsaque facies duabus suffulta est columnis corinthiis, quæ

* *Declam.18.*
* *Lib.2. de Fin.*
* *Lib.3. Eleg.2. ver. 28.*
* *Lib.X.epig.71.*

quæ ſuis capitulis, ſcitiſſimiſque capreolis, veluti cincinnis quibuſdam ornatæ apparent. Supra januam verò, quodam in circulo depictus vel exculptus cernitur Pegaſus. Hujuſmodi autem pinnati Equi imago in monumentis ſepulcralibus quamſæpiſſime occurrit, quippe qui apud Veteres immortalitatis typus eſſet; propterea quod piorum animas ad cœlum tranſvehendi illi onus incumberet. Hinc Plato *, animas, quæ a lentis equis deferebantur, in terram miſere decidere: quæ verò a velociſſimis, ad cœlum permeare opinatus eſt. Variæ ſane ac diſcrepantes antiquorum ſententiæ de Elyſiorum ſitu fuerunt, quas in animadverſionibus Naſoniani Sepulcri * ſatis erudite Bellorius recenſuit.

* *In Phædro.*

* *Tab. IX.*

Hujus denique ſepulcralis Cubiculi interior cavea, interioreſque parietes, ſuis diſtincti ornamentis, Tab. II. exhibentur; tres autem loculi apparent, in quibus mortuorum cadavera jacebant, quorum alter dextero, alter lævo in latere extructus eſt; tertius demum in Sepulcri capite e regione januæ duabus columnis ſuffultus, in quo verius oſſa aut cineres Domini conditos fuiſſe crediderim. Omnes autem imagines atque ornamenta, utrinque penicillo expreſſa, proxima in Tabula cerni poterunt.

T A B U L A III.

Cameræ ejuſdem aſpectus.

Supra dexteri lateris loculum duo Amores, ſive Genii, in angulis ſe offerunt conſpiciendi, qui ſeſe in alas librare, ac porrectis manibus flores fundere videntur. (*n.* 1.) Superior loculi pars cæmentitio opere perornata cernitur; inferne verò tria apparent ſimulacra: (*n.* 2.) ac primùm vir quidam galeatus exhibetur, qui nullo, lævum ſi excipias humerum, tegitur amictu, quique mulierem quamdam, nullis pariter veſtibus indutam, manu leviter apprehenſam ſecum deducit; læva inſuper neſcio quid complicatum, vel potius virgulam gerit, ac mulierem, ſuis inhærentem veſtigiis, intentis oculis reſpicit. Hos autem conjuges, ac Sepulcri Dominos eſſe affirmarem. Tertia demum effigies, itidem veſtibus denudata, lævà manu ardentem geſtat facem, dexterà vero papavera; illà in nuptiis, iſtis verò in juſtis funebribus mortuorum Veteres uti conſueverunt. Vergilius *:

. . . . & de more vetuſto
Funereas rapuere faces.

* *Lib. 11. Æneid.*

Quæ ſane ambas haſce cæremonias fortaſſe indicant ſecundum Propertii mentem; deſignant enim temporis intervallum, quod conjuges iſti a nuptiarum die ad obitum uſque feliciter traduxerunt, ſcilicet inter papavera & facem. *

Viximus inſignes inter utramque facem.

* *Lib. 4. el.*

Præterea in ſepulcralibus arcis perſæpe obſervantur faculæ ad animi immortalitatem indicandam, quam Philoſophorum nonnulli divinæ lucis, cœleſtiſque illius ignis ſcintillam, quam Prometheus æthere ſubduxit, eàque humanam ſuccendit animam, eſſe crediderunt; ex quo factum eſt, ut homo, Divinæ naturæ particeps, cetera animalia longe antecelleret. Hinc Vergilius *:

Igneus eſt ollis vigor, & cœleſtis origo
Seminibus.

* *Æneid. VI. verſ. 730.*

Pſittacus inſuper (*n.* 3.) in venuſto floribus pratulo mortui eloquentiam innuit; Veteres enim *per ejus effigiem eloquentem hominem, qualem ſe negat Tullius reperiſſe, ſignificabant*; utì Valerianus docet, de Pſittaco verba faciens *.

* *Lib. 23.*

Aquila etiam (*n.* 4.) ſecundos rerum exitus apud priſcos homines polliceri exiſtimabatur. Verum ad mortuorum apotheoſin hic ſpectare videtur, quam & privati homines ſibi quoque communem eſſe crediderunt, qui, nimia quadam honoris cupiditate ducti, ſibi vel conjunctione vel neceſſitudine ac familiaritate devinctos ab Aquila ad cœlum ſuſtolli, commenti ſunt. In inferiis ſane vaſibus ſeu poculis ad libationes uti, mos fuit; ſicuti in Apulejo * legere eſt, dum de illis furibus loquitur, qui aureis poculis merum vinum Traſilonis & commilitonum animabus libarunt. *Poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libantes.*

* *Lib. 4.*

Ne-

Neque abs re esset, si nos, Aquilam unà cum vasculo exhibere, affirmaremus, Ganymedis memoriam, ad cœlum sublati, ut Jovi pocula misceret; quem sane magis ejus animi dotibus, quàm corporis elegantia captum fuisse, scriptum reliquit Xenophon *. Quare qui immatura morte prærepti, de suis virtutibus ac morum integritate memoriam posteris tradiderunt, eos a diis raptos esse exemplo Ganymedis, Veteres sibi persuaserunt; de quo apte Cicero *: *Quid est enim memoria rerum aut verborum? quid porro inventio? profecto id, quo nec in Deo quicquam majus intelligi potest. Non enim ambrosia deos, aut nectare, aut juventute pocula ministrante lætari arbitror; nec Homerum audio, qui Ganymedem a diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula ministraret; non justa causa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad deos transferebat: Divina mallem ad nos. Quæ autem Divina? vigere, sapere, invenire, meminisse. Ergo animus, qui, ut ego dico, divinus, ut Euripides audet dicere, Deus est.* Atque adeo harum picturarum Auctoris hanc fuisse mentem credere est; quum plurimarum virtutum, quibus hujusce sepulcri Domini præditi fuerunt, insigne posteris præbere vellet argumentum; ad quos sane brevis hujusce tituli, sensu verò gravis, sententia apte quadrare posset, quam refert Licetus *: *Cornelia. Pudentilla. Cornelii. Filia. Rapuit. Te. Beata. Vita.*

* In Symposio.
* Lib. 1. Tuscul. Quæst.
* Lib. 6. Lucer. Sepul.

Quod ad Capricornum attinet, (*n.* 5.) illum Platonici deorum januam appellarunt, ea nempe de caussa, quod piorum animas, ut ad cœlestes delicias perfruendas pervenirent, ac Divinæ naturæ participes fierent, per hujusmodi signum pertransire crediderunt.

Jam verò Panos (*n.* 6.) nomine, *universæ substantiæ materialis dominatorem significari voluerunt*, ut refert Macrobius *; ex quo Πᾶν indigitatus est, atque idem cum Sole existimatus; *cujus materiæ vis*, idem Macrobius * scribit, *universorum corporum, seu illa divina sive terrena sint, componit essentiam*. Insuper Deus iste unus idemque cum Serapide vel Plutone habitus est; ideoque sæpe in sepulcralibus monumentis expressus reperitur. Dictus etiam fuit Juppiter Lyceus, cujus simulacrum hœdina pelle erat circumdatum, cetera nudum; cui Romæ ad radices Montis Palatini Ædes extructas fuisse, narrat Justinus. Inflexus autem incurvatusque baculus, quem læva detinet, naturæ administrationem penes illum esse ostendit, utì sentit Boccaccius; quamvis Sylvanus aliique Deorum agrestium sylvestriumque eodem fuerint usi. Sol quidem ideo exculpi consuevit, ut sempiternum ævum indicaret, sicuti refert Horus Apollo; quin etiam inflexà virgulà Annus innuitur, qui in orbem vertitur, ut docet Servius. Quidam Sylvani simulacro vitam hominum, sexcentis repletam miseriis, innumerisque angustiis obnoxiam, significari intellexerunt, quibus anima corpori juncta magis in dies agitur premiturque. In hujusce præterea Tabellæ angulo boni Pastoris imago cernitur, qui brevi tunica indutus amissam ovem vel caprum in humeros sublatam ad ovile deportat. Cujus rei gratia in hoc sepulcro hujusmodi Pastor fuerit depictus, nondum satis perspectum mihi est, quum nullum in ipso Christianæ Religionis signum animadverti possit. Ethnici forsan Christianorum morem subsequuti, hoc nempe symbolo injuriarum patientiam, animique demissionem, & mortui caritatem exprimere voluerunt; vel potius vitæ humanæ imbecillitatem, quæ sine ulla ope Solis, quem Pastoris seu Panos imago innuit, stare ac durare nullo pacto potest. Caper præterea ideo huic Numini dicatus fuit, quòd Pan hujus effigiem induisse, Veteres commenti sunt; quòdque hujusmodi animal fœcunditatis symbolum fuerit existimatum. Quapropter hirci capite eum effinxerunt Ægyptii, ut nunquam deficientem hujus numinis vim indicarent.

* Lib. 1. Saturnal. cap. 22.
* Ibidem.

Aquila deinde, (*n.* 7.) ingenti caloris vi a natura prædita, ignem æthereum exhibet, quem Jovis nomine, sicuti & aerem Junonis appellatione, indigitarunt, qui illius calorem attrahens fœcunditatem terræ affert, quæ hac in Tabella rosis cooperta cernitur. Veterum etiam morem sepulcra floribus ornandi, rosæ indicare videntur, ut in animadversionibus Tab. IX. observabimus.

In proximis verò, quæ hìc adsunt, Tabellis (numeris 8. 9. 10. 11. 12. 13. & 14.) plura animalia variis coloribus depicta intuemur; quorum quædam cum

pueris lusitare videntur; ac ex illis pleraque caprorum simulacra præseferunt, qui sunt fœcunditatis signa ac generationis, utì pluries diximus, quæ quum tandem ad corruptionem redigatur, necesse sit, ut docet Aristoteles, ideo ad sepulcrorum monumenta satis apte spectare videtur.

Papaver denique, quod imago alis prædita (*n.* 15.) dextera detinet, inter cetera munera Cereri offerri consuevit; eoque nil erat acceptius, ut Clemens Alexandrinus refert; ea fortasse de caussa, quod Deæ, ipsum de Jovis consilio degustanti, famem ademserit; ejusque ope ipsi dormienti e memoria exciderit dolor ingens, quem ex raptu Natæ perceperat, ut Ovidius in Fastis describit:

Illa soporiferum parvos initura Penates,
Colligit agresti leve papaver humo.
Dum legit, oblito fertur gustasse palato,
Longamque imprudens exsoluisse famem.

* *Georg. 1. vers. 212.* Quare & a * Vergilio *Cereale Papaver* appellatur. Somnus insuper mortis frater dictus fuit; ambosque ex Herebo Nocteque ideo prognatos fuisse traditum est, quòd, quum animum a sensibus abstrahant, eodem prorsus pacto uterque nos afficere solet. * *Vers. 1075.* Seneca Tragicus * in Hercule Furenti *placidum lethi genus* somnum appellat:

Pavidum lethi genus humanum
Cogis lentam discere mortem.

Quin etiam Veterum Lapides mortem æterni somni nomine donarunt: *Somno Æternali.* Fax quoque, quam terræ inversam eadem Effigies læva gerit, amicæ vel sodalis interitum indicat, utì Valerianus, subsequutus mentem Ovidii, deplorantis Tibulli mortem, docet:

Ecce puer Veneris fert eversamque pharetram,
Et fractos arcus, & sine luce faces.

Itaque fax papavero juncta ad defunctorum memoriam pertinere videtur. Ego verò in ea sum sententia, ut per facem Auroram, per papavera Noctem significari mihi persuadeam. Sicut enim inter diem ac noctem, quam somni matrem diximus, haud longum intervallum intercedit; sic brevi mors vitam excipit, quæ nimia velocitate prætervolat; quam sane alatus hic Genius, sicut & proximus alter, (*n.* 16.) aperte indicant, quorum postremus utrâque manu velum quoddam, seu recinium detinet, ut, quam inter se habent cognationem duo hæc extrema, vita nempe & mors, clarius ostenderetur.

Petro Jacobo Patriarchæ, Clementis XI. architecto, multis variisque doctrinis peritissimo, acceptam referre debemus, quanta quanta est, hujusmodi notionem, quo nempe loco celebre hoc monumentum extructum fuerit. Ex eo itaque in topho Collis Hortorum, seu Pincii, secundum Milvium Pontem, insculptum fuisse, ac sub Alexandro VII. detectum, constat.

TABULA IV.

* *Majorem vulgo appellant.*
* *Locus hic vulgo Torre Pignattara nuncupatur.*

Monumentum hocce, quod Labicana via extra Portam * Prænestinam, in Philippi Ferrerii vinea prætergressis S. Helenæ sepulcri vestigiis * adhuc exstat, iis antiquitus militibus fuit extructum, qui equis stipendia merebant, quosque singulares appellarunt; ut ex Epitaphiis, ibi repertis in proclivi, colligere est.

Rerum Romanarum scriptores, quonam primùm tempore hujusmodi milites fuerint conscripti, deque eorumdem munere, inter se discrepant; nonnulli enim a primis Romæ incunabulis delectos autumant, eosque miscent cum tercentis Ce- * *Cap. 20. de re milit. Rom.* leribus, qui Romulo apparebant, utì observat Salmasius *; atque asserunt, ex variis Reipublicæ atque Imperii temporibus varia ipsis nomina fuisse imposita, ac primò quidem dictos fuisse Singulares, dein Prætorianos, postremo Domesticos * *In Miscell. Sect. 7. p. 258.* ac Protectores. *Illos Hadriani*, scribit hac de re Sponius *, *& sequentium Imperatorum ætas Singulares Imperatoris, aut Prætorianos vocabat; posterior verò Domesticos & Protectores.*

Ve-

Verùm in veterum lapidum collectione, a Cl. V. Fabretto digesta quædam occurrit sepulcralis Inscriptio, ex qua Singulares a Protectoribus distinctos esse patet; quin ex aliis quoque inscriptis lapidibus eosdem a Prætorianis quoque diversos fuisse constat. Alii verò Singulares eosdem ac Desultores existimant: Alii cum quinque millibus Augustalibus a Nerone institutis communes esse credunt, ut scribit Tacitus *. Ex quadam tamen Inscriptione a Grutero allata *, & a Fabretto *, in qua de Actiaco bello mentio fit, sub Augusti imperio hujusmodi milites stipendia fecisse patet. Reinesius sic nuncupatos existimat, quòd pro uno tantùm equo eis stipendium suppeditabatur, ut a Duplaribus differrent, quibus ad duos alendos equos stipendium pendebatur; (ut ad calcem suarum animadversionum in antiquis Leonardi Augustini Gemmis observat Bellorius, qui etiam hac super re veteris lapidis Inscriptionem refert, cui ex hisce militibus quidam, agnomine *Ursinus*, inscriptus apparet.) Eodem prorsus pacto, ac *Annona Duplaris* & *Singularis* nuncupata a Vegetio * pro Torquatis Duplaribus, & Simplaribus: sicut & pro Candidatis, atque Armaturis. *Torquati Duplares*, inquit ille, *Torquati Simplares, quibus Torques aureus solidus virtutis præmium; quem qui meruisset, præter laudem interdum duas consequebatur annonas: Duplares duas, Simplares unam.*

* *Annal. cap. 15. lib. 14.*
* *Pag. 371.*
* *Pag. 355.*
* *Lib. 2.*

Ego sane Singulares hosce Equites quolibet Imperii tempore idem nomen habuisse existimo; quum nonnullæ Tabellæ marmoreæ exstent, non modo Augustalium titulo insignitæ, verùm etiam eisdem præfixæ reperiantur hæ literæ D. N. idest DOMINI NOSTRI; quem quidem titulum extremis temporibus Imperatores usurparunt.

T A B U L A V.

Quinque hac in Tabula sepulcrales lapides oculis exhibentur. In horum primo T. AUR. T. F. GENETIVUS Decurio, & Eques Singularis Augustalis, natione Noricus, inscriptus occurrit. Hæc autem regio suos fines ad Grisones usque antiquitus porrigebat, atque Bavariæ partem occupabat. Militis hujus effigies in hemicyclo supra titulum spectatur, cujus peripheriam personæ duæ, utrinque appositæ, secant & claudunt. Rara insuper barba, qua hujus militis mentum vestitur, eumdem novem & viginti annos natum indicat, ut addita Inscriptio aperte declarat; ex qua etiam colligitur, ipsum decem annos Decurionis, ac Equitis Singularis munere, stipendia meruisse. Hinc est, quod inferius servus conspicitur brevi tunica thoracis in modum indutus, atque oblongis femoraliis, duos inter equos stans, eosque loris frænans ac sistens; quo fit, ut unum & alterum defuncti munus facili negotio intelligatur. Racemos denique innexos viti, ejus caput circumeunti, ad vini libationes, quæ ethnicorum sepulturis fieri solebant, quis neget pertinere? de quibus Æneas apud Vergilium * ad Anchisis tumulum verba facit, ac nos infra agemus. Sicut etiam quis sibi non persuadeat, personas duas mimorum & scurrarum lusus præseferre? quibus Veteres usi sunt in exequiis nobilium, quæ *Indictivæ* fuere appellatæ; qui sane scurræ mortui funus næniis, flebilique ad tibiam cantu, ridiculisque saltationibus sequebantur; utì ex Dionysio Halicarnasseo accepimus.

* *Æneid. 4. vers. 77.*

In altero verò hujus Tabulæ sepulcrali lapide ULPIUS ANGULATUS natione pariter Noricus legitur. Suprà titulo in semicirculo, superiori haud absimili, ipsemet Ulpius, talari manicataque tunica indutus, in lectulo jacet, lævoque brachio supra pulvinar rejecto innititur, alterum attollens, ut manum capiti admoveat. Utrinque verò capita duo, pileo phrysio cooperta, cincinnis annulatisque capillis pendentibus, videre est; quæ omnia defuncti forsitan nationem indicant. Lectulum prope tripus cum orbiculari mensa adstat, quæ sane antiquorum *Inferias* innuit, dictas *ab epulis inferendis*, nempe a Veterum more, qui singulis annis ad dictam diem epulas tumulis mortuorum inferre consueverunt, eo quod ipsis gratas acceptasque fore, eisdemque alia in vita vesci crederent. Quum autem hoc munere parentes fungerentur ad Deos Manes placandos, hu-

** In Dialogo de Luctu.* hujusmodi sacrificia Parentalia appellarunt. Hunc morem irridet Lucianus * his verbis: Τρέφονται δὲ ἄρα ταῖς παρ' ἡμῖν χοαῖς, καὶ τοῖς καθαγιζομένοις ἐπὶ τῶν τάφων. ὡς ἔντῳ μὴ εἴη καταλελειμμένος ὑπὲρ γῆς φίλος, ἢ συγγενὴς, ἄσιτος οὗτος νεκρὸς, καὶ λιμώττων ἐν αὐτοῖς πολιτεύεται. Id est: *Aluntur autem nostris libationibus, inferiisque, quæ sepulcris inferuntur. Adeo ut si cui nullus sit in terra reliquus amicus aut cognatus, hic mortuus jejunus ac famelicus inter illos versetur.* Præterea vixit hic Ulpius quadraginta annos, quorum quatuor & viginti Equitis Singularis munere militavit; ideoque sub inscriptione servus æque, ac superior, indutus conspicitur; qui oblonga habena a tergo equum retinet ac remoratur; qui sane equus stragulo ceterisque phaleris insignis spectatur, eademque habena anulo cuidam inserta videtur, ut equum eumdem, ad cursum veluti incitatum, validius sistere possit. Armorum Custos, de quo in eadem Inscriptione verbum fit, Romanæ militiæ munus erat; de quibus sane armorum Custodibus & Gruterus tres lapides af-
** Pag. DXVIII. 5. DXLVI. 9. & DLXIX. 7.* fert *. Singulæ quoque Legiones suum præcipuum armorum Custodem habebant, ut patet ex altera ejusdem Gruteri Inscriptione *, in qua mentio fit de armorum
** P. DLXXXVI 11.* Custode Legionis XIV. & apud Reinesium * agitur de quodam alio armorum Cu-
** Pag. CXCVII.* stode Legionis XII.

Tertius porro lapis nullum habet titulum; verùm ex equo, qui eisdem, ac superior, ornatur phaleris, & servo, qui eum altera manu frænat, altera virgulam gestat, illum quoque esse ex Equitibus hujusce militiæ colligi potest.

Quartus deinde, ullo sine opere anaglypho, M. AURELIO BITHONI, Equiti Singulari, Thraci, inscribitur, qui annos quindecim stipendia fecit.

In Quinto denique, ac omnium novissimo lapide, T. AURELIUS APOLLI-
** Lib. 5. cap. 23.* NARIS, natione Syrus Apamenus, exhibetur, de quo Plinius verba facit *. In hemicyclo supra titulum occurrit Defunctus, lecto cubans, brachio in pulvinar innixus, manuque dextera pateram tenens. Supra tripodem propter cubile vix discerni queunt epulæ quædam, quæ ad Inferias fortasse spectabant. Quum autem T. hunc Aurelium Apollinarem haud Equitem Singularem esse titulus indicet, ideo alteri militiæ adscriptum fuisse, vel aliæ disciplinæ operam dedisse, existimandum est.

TABULA VI.

Allatis proxime adstant duæ aliæ Memoriæ Sepulcrales ejusdem militiæ, eodemque prorsus loco inventæ. In harum altera inscriptus cernitur T. AURELIUS TERTIUS natione Rheticus: quam nunc regionem Grisones incolunt. Defuncti, vel potius Jovis simulacrum duas inter aquilas superimpositum apparet, ut mortui spem ad primævum ortum redeundi significet; quum Jovis numen humanæ naturæ principium & auctorem esse ab antiquis commentum fuerit. *Quia existimabant antiqui, animas a Jove dari, & rursus post mortem eidem reddi*, scribit Macrobius. Duo utrinque capita more phrygio pileata conspiciuntur; infra verò Defunctus in lectulo stratus, lævoque brachio pulvinari innixus, & dextera manu pateram de more tenens, quem propter tripus adstat. Pone lectulum caput quoddam eminet, quod sane larvam quamdam esse affirmarem. Simulacrum verò lectulo adstans, ac dexterà ferulam stringens, tuto quis asserere posset, aliquem esse ex Geniis illis, quos Averruncos dixere ex eo, quod infestos dæmones averruncarent. Veteres namque cuilibet homini duos Genios præsto esse existimarunt, alterum amicum & defensorem, inimicum alterum & lædentem; quos omnes dæmones vocarunt; ita tamen, ut qui boni ab ipsis habebantur, *Lares*: qui verò mali, *Larvas* vel *Lemures* appellarent, de quibus agit Plato, & ejus auditor Plotinus. Insuper sub Titulo, dextrorsum mutilo, vir equum conscensus cernitur, qui aprum jaculatur. Hoc autem ejus rei gratia appictum dixerim, vel ut Defunctum venatorem fuisse ostenderetur; vel potius diem suum obivisse hyberno tempore, cui tempori aprum tributum fuisse constat.

Lapis alter T. AURELII PROBI nomen præfert; cujus ornatus superiori

haud

haud absimilis videtur. De Encarpis, ac florum coronis, quas sepulcris apponere Veteres consueverunt, in Tabula IX. agemus. Eques hic Singularis Augustalis, natione Batavus fuit, non verò Pannonius, ut Diarii Italici recens Auctor demonstrare conatur; militavitque annos XVIII. Turmæque erat Marini. Hæ autem literæ, interjectis interſitæ punctis, H. A. O. F. C. hoc pacto interpretantur, *Heres Amico Optimo Fieri Curavit*.

Præter eos, quos attulimus, & alium ibidem inventum fuisse lapidem constat, cujus ornatus nullis hac in Tabula delineamentis expressus apparet, eo quod superioribus similis visus est. Solummodo inscriptum Titulum adferre par fuit, ut errores, quibus in laudato Diario Italico hujusmodi Inscriptio scatebat, corrigeremus.

T. AURELIO. TITI. FILIO
AELIO. MURSA. MAXIMO
SIGNIFERO. EQ. SING
IMP. N. TUR. AUREL. BITH
NATIONE. PANNONIO
MIL. ANN. XXII. VIX. AN. XL
FL. FIRMUS. EVOCATUS. AUG
HERES. AMICO. OPTIMO
F. C.

De Augusti evocatis loquitur Svetonius *: *Delegit & Equestris ordinis juvenes, qui, manente annulorum aureorum usu, Evocati appellarentur, excubiasque circa cubiculum suum vice militum agerent*. Sub sepulcrali lapide Gorgonis caput, prudentiæ militaris typum, cernere erat; quod in militum scutis, atque Ducum thoracibus prosperi amuleti caussa insculpi solebat; eos enim invictos efficere, hostibusque terrorem offundere creditum est, utì testatur Ovidius:

Gorgoneum crinem turpes mutavit in hydros,
Nunc quoque ut attonitos formidine terreat hostes,
Pectore in adverso, quos fecit, sustinet angues.

* In Galba cap. 10.

TABULA VII.

IN Familiæ Corsinæ hortis juxta viam Aureliam plurima detecta fuisse subterranea conclavia constat, Veterum monumentis referta; in quorum altero repertum olim fuit operculum quoddam marmoreum literatum, quod modo exhibemus, in cujus centro quatuor patent foramina, per quæ in urnam subconditam, qua mortuorum ossa servabantur, vel vinum vel aquam vel lac aut sanguinem infundebant juxta Veterum morem, quem refert * Vergilius, dum Æneam, ad Anchisis tumulum sacra facientem, describit:

Hìc duo rite mero libans carchesia Baccho
Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro.

Et in funere Polydori *:

Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras: animamque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.

Eadem refert Statius de obitu Archemori *:

Spumantesque mero pateræ verguntur, & atri
Sanguinis, & rapti gratissima cymbia lactis.

In quibus sane versibus illustrandis Lutatius confirmat, libationes lacte & sanguine fieri consuevisse, eo quod illud hominem alit, hic verò ejus vires confirmat. *Libatio*, inquit, *duabus rebus expeditur, lacte & sanguine, quod alterum eorum ad alimoniam sit vitæ retinendæ, alterum virium continendarum; quia vita hominum his rebus juvatur, etiam propterea sepulturæ commendare solent*. Aliquando lac vino mixtum adhibebant. Tibullus *:

Et nivei lactis pocula mixta mero.

* Æneid. 5. vers. 77.
* Æneid. 3. vers. 66.
* Theb. 6.
* Lib. 3. eleg. 5. vers. 11.

* Epitaph. 36. Aut vino atque odoriferis unguentis utebantur, utì docet Ausonius *:

Sparge mero cineres, & odoro perlue nardo
Hospes: & adde rosis balsama puniceis.

Hisce itaque liquoribus Veteres diebus anniversariis supra cineres consanguineorum ac familiarium libationes facere solebant, quem morem hocce perforatum operculum confirmat, per cujus foramina iidem liquores in suppositam urnam ingerebantur ad Deos Manes placandos propitiandosque CHARIDI FILIÆ EX NICEPHORO ET CALERIA MACARIA.

Hujus demum tituli syllabæ punctis interjectis distinctæ ruentis Imperii tempora, bonarumque artium ac disciplinarum interitum indicant; uti Bellorius observat in pari titulo, ab se allato suis in Animadversionibus ad Nasonianum sepulcrum.

TABULA VIII.

Hoc in stylobate, quem in Corsinorum hortis repertum accepimus, simulacrum quoddam insculptum stare conspicimus, quod lævà lituum detinet, ac dexterà inflexum cornu indicat: dextrorsum verò Panos vel Fauni caput adjacet, quod propter est fistula. Supernè infernèque hæc leguntur insctipta: M. JULIUS. VICTOR. EX. COLLEGIO. LITICINUM. CORNICINUM. Hunc itaque M. Julium Victorem ex Collegio Liticinum atque Cornicinum fuisse agnoscimus; de quibus Vegetius hæc habet *: *Tubicines, Cornicines, & Bucinatores, qui tuba, vel æreo cornu, vel buccina committere prælium solent.* (* Lib. 2. cap. 7.) Ciacconius suis in animadversionibus ad Columnam Trajanam *, de hisce duobus, eorumque muneribus verba facit; ac lituum tubà miscet, quam Veteres *buccinam* dixerunt, licèt hæc inter se instrumenta discreparent. (* Num. 57.) *Liticines seu Bucinatores, (utrovis enim modo dicuntur) lituos seu buccinas portantes, instrumenta cava & retorta, quæ in semetipsa æreo circulo flectuntur, quorum sonitu aliquid exercitui nunciabatur, aciesque excitabantur. Nam per hujusmodi cornua & tubas indubitatis sonis agnoscit exercitus, utrum stare, aut progredi, ac certe regredi oporteat: utrum longe persequi fugientes, ac receptui canere. Buccinatores enim, & Cornicines ornamentum erant totius Legionis in ingressu conflictùs, & ejus reditu.* Hac verò tubà vel buccinà etsi Veteres classicum canere, ac receptui, nocturnasque vigilias ad munus subeundum excitare solebant, ut refert Livius *; eâdem tamen, ut populum ad comitia evocarent, præcipue uti consueverunt. Propertius *: (* Lib. 7.) (* Lib. 4. Eleg. 1.)

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites.

Postea verò pastores etiam illa usi sunt, ut pecus ad septa cogerent, qua de re hæc apud Columellam * leguntur. *Id semper crepusculo fieri debet, ut ad sonum buccinæ pecus, si quod in sylva substiterit, septa repetere consuescat.* (* Lib. 6. cap. 23.)

Ab hujus Tubæ genere Lituus discrepabat, quo tantùm Equitatus utebatur, propterea quod acutum sonum redderet. Hinc apud Lucanum * *Stridor lituum* occurrit. (* Lib. 1.) Erat autem in Auguralis litui modum efformatus, ex quo nomen sortitum esse a vero minime abhorret. Priscianus * enim docet, *Liticen Liticinis, ex lituo, quod est genus tubæ minoris.* (* Lib. 1.)

Præterea fistulam, quam Theophrastus & Plinius syringam vocant, a Pane inventam, Veteres omnes opinati sunt; quamvis Apollodorus * a Mercurio repertam cum Isidoro sentiat. (* Lib. 3.) *Fistulam quidam putant a Mercurio inventam, alii a Fauno, quem Græci vocant Pana, nonnulli ab Idi Pastore Agrigentino ex Sicilia.* Hæc autem pluribus calamis cerà conjunctis compacta erat, sicuti refert Pausanias, cecinitque Vergilius *: (* Eclog. 2.)

Pan primus calamos cerà conjungere plures
Instituit: Pan curat oves, oviumque magistros.

Quare, quum Pan pastorum Deus fuerit, ideo apud pastores fistulam ad animum relaxandum adhibere mos fuit. Hinc Horatius *: (* Od. 12. lib. 4.)

Dicunt in tenero gramine pinguium
Custodes ovium carmina fistula:

De-

Delectantque Deum, cui pecus, & nigri
Colles Arcadiæ placent.

Fiſtula denique ſeptem calamis conſtabat, qui in parte ſuperiori pares, quum unus alterum longitudine minime excederet: in inferiori verò diſpares erant; alter enim altero longior erat, utì Vergilius innuit *: * Ecl. 2.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.

Licèt pluribus quoque cicutis fiſtulas conſtare compertum ſit, ut illa Thecriti *, * Idyll. 8. quæ novem compacta fuit cicutis, ab eoque dicta σύριγξ ἐννεάφωνος.

Alterum haud abſimile anaglyphum opus in eruditis animadverſionibus Gaſpari Bartholini de Tibiis Veterum, attamen abſque Panos capite, ac fiſtula ſeorſim exculpta, conſpicitur. Hic autem auctor ſcribit, hujuſmodi marmoreum monumentum, ab ſe allatum, in ſuburbano Advocati Ronconii hortulo prope S. Iſidori ædes inventum fuiſſe. Ex quo conjici poteſt, illud abſimile eſſe ab eo, quod nos exhibemus, in Hortis Corſinorum repertum, hieroglyphicis copioſius, iiſdem licèt literis verbiſque inſignitum: niſi forſitan illud idem ad Corſinios Hortos deinceps delatum fuiſſe credamus.

TABULA IX.

Inter pleraque erudita monumenta, quæ operà & ſtudio Bernardini Peronii adinventa ſunt in ſuburbano Viterbii agro, in quo vetuſtiſſima Hetruſcorum ſepulcra detecta fuere, Vas, fulvo ære confectum, quod modo exhibemus, admirationem ſane excitat; tum quòd ad hæc uſque tempora integerrimum ſincerumque permanſerit, tum ob miram perfectamque operis artem; adeo ut illud præſtantis artificis manu elaboratum quiſque agnoſcat, ſi in hiſtrionicam perſonam, leoniſque caput, oculos intendat, quæ in utroque Vaſis latere inſculpta apparent. Celeberrimum autem hujuſmodi Vas exuſtis oſſibus ſcatebat, eratque opertum tela aurea tenuiſſima, cui asbeſtinum linteum ſuberat, ex amianto contextum, quod igne minime abſumitur: idque vel ex rubigine, æriſque ſitu, vaſi ſuperinhærente, facile agnoſcitur; quod ſane Vas in Viterbienſium ſecretiori Tabulario adhuc aſſervatur.

Jam verò in ſepulcralibus marmoribus ſæpe Leo inſculpi conſuevit, eo quod is leviſſimo ſomno utatur, ac inſuper quòd apertis atque ſplendentibus oculis dormiat. Ex quo Ægyptii pro templorum foribus Leonis ſimulacrum efformabant, nt illa ſervaret, veluti ſacrorum ſupellectilium pervigil cuſtos. Qua de re hæc apud Alciatum leguntur *: * Embl. 57. lib. 2.

Eſt Leo, ſed cuſtos, oculis quia dormit apertis,
Templorum idcirco ponitur ante fores.

Hoc quoque animal fortitudinis, ac bellicæ virtutis ſymbolum habitum fuit; quin tanta ejus ſimulacri vis erat, ut hoſtibus terrorem offundere valeret. Hinc Agamemnonem ejus effigiem expreſſam in clypeo geſſiſſe, refert Pauſanias; quamvis Homerus Gorgonis caput fuiſſe tradat. Idem ſcribit Plutarchus de Pompeii annulo, in quo Leo gladium ſtringens ſpectabatur. Laudatus pariter Alciatus de ejuſdem Agamemnonis clypeo hæc habet *. * Embl. 49. lib. 2.

Ora gerit clypeus rabioſi picta Leonis,
Et ſcriptum in ſummo margine carmen habet:
Hic hominum eſt terror, cujus poſſeſſor Atrida.
Talia magnanimus ſigna Agamemno tulit.

Ex quo colligi poſſet, hoc in vaſe alicujus ſtrenui militis, vel ducis, oſſa fuiſſe condita: eoque magis, quod cornua in Satyri fronte efficta robur indicent. Niſi forſan aliquis in ea ſit ſententia, ut hiſtrionicam hujuſmodi perſonam, quam appictam cernimus, ad ſcenicos ludos ſpectare credat, quos in nobilium funeribus edere olim curabant, utì docet Dionyſius Halicarnaſſeus; qui in juſtis funeribus Defuncti lectulum Satyrorum choros præire conſueviſſe narrat. Neque ve-

verò abs re esset affirmare, caput hujusmodi vel Larvas vel Lemures innuere, qui circa sepulcra errare habiti sunt. Ovidius.

Ritus erit veteris nocturna Lemuria sacri,
Inferias tacitis Manibus illa dabunt.

* Lib. 9. de Civit. Dei cap. 11.

S. Augustinus * refert Platonis, vel ejus auditoris Plotini, mentem de hisce Larvis vel Lemuribus; cujus verba operæ pretium est huc adscribere. *Dicit quidem, & animas hominum dæmones esse, & ex hominibus fieri Lares, si meriti boni sunt: Lemures seu Larvas, si mali.* Et paulo post. *Larvas quidem dicit esse noxios dæmones ex hominibus factos.*

TABULA X.

HYlas blandus puer fuisse fertur, quem Hercules adamavit, rapuitque, ac secum abduxit unà cum reliquis Argonautis, Colchos navigaturus ad vellus aureum conquirendum. Verùm, quum inter remigandum Hercules remum suum fregisset, unà cum Hyla navi egressus est, ut alium in Mysiæ sylvis quæreret. Invalescente autem æstu, quum siti premeretur, Hylam cum urna misit ad Ascanium fluvium, ut inde sibi aquam afferret; sed quum ripa altior esset, quàm ut stans haurire posset, procumbens in pectus Hylas urnam e manibus demisit, quam quum subito recipere conaretur, pondere ejus demersus est. Quæ res poetis occasionem præbuit fabulandi, Hylam a Nymphis ob formæ præstantiam fuisse raptum. Hercules autem, quum Hylas nusquam compareret, casum ejus tam ægre tulit, ut relictis Argonautis, Mysiam totam, minoris Asiæ regionem, Troadi conterminam, oberrans, Hylam quæreret. Hinc Juvenalis *:

* Sat. 1. Vers. 64.

Aut multùm quæsitus Hylas, urnamque secutus.

Sedet itaque Hercules cursu lassus, quem frustra cucurrit, ut amasium inveniret. Hylas verò inter Nymphas curis premitur, suaque sorte parùm contentus esse videtur.

Minime quoque absurdum esset, si quis affirmaret, hisce figuris, quæ hac in Patera exhibentur, Herculem indicari, qui Laomedontem Trojæ Regem orat, ut sibi ad ejus portum cymbam appellere liceret, ut amissum puerum quærere posset. Vel cum eodem colloquitur de muneris pactione præstanda ob illius filiam Hesionem, ab æquoreo monstro ereptam. Hercules enim, liberaturum se filiam monstro marino expositam, Laomedonti pollicitus est, si equos divino semine procreatos, quos habere eum constabat, in prœmium sibi traderet. Hunc igitur in modum pactione facta, Hercules, interfectà belluà, virginem liberavit. Sed quum Laomedon promissis non staret, indignatus Hercules, collecto undequaque exercitu, Ilium expugnavit, Laomedontem occidit, ac Hesionem Telamoni uxorem dedit, quod primus murum conscendisset.

Hanc autem aurati æris Pateram in laudatis Hetruscorum sepulcris in Viterbiensi suburbio inventam fuisse, constat.

TABULA XI.

SUbterraneum hujusmodi sepulcrale Cubiculum, albo in topho insculptum, mense Martio An. MDCXCVIII. in quodam Equitis Scipionis Petrucci fundo, septem passuum millia a Senarum Urbe dissito, in via, quæ ad Collem deducit, detectum fuisse, accepimus. Hujus quidem fornix, ac parietes rubeis lineis distincti apparent, quibus sane lineis versiculi quidam Hetruscorum charactere, eodem colore exarati, identidem interseruntur. In hoc autem Monumento aliquot ossium adinventa fuere, præterea ex nigra creta fictile crater, cujus peripheria semicubitalis erat; aliaque vasa sphærica, quorum majora, duorum cubitorum rotunditate constabant.

Quatuor verò parietum divisiones, quæ hac in Tabula superne conspiciuntur, quatuor pariter hujus cubiculi facies indicant, &, quo pariter ordine Hetru

trusci characteris versiculi essent inscripti, ob oculos ponunt. Insuper numero 5. per foramen fortuitò effectum cernitur, per quod deorsum ad cubiculum patuit aditus.

Ad Hetruscorum literas quod attinet, non sum tanti, ut illas explicare valeam, tum hac in re tum in cæteris omnibus meam inscitiam confiteri non erubescens. Si quis verò earumdem cognitione præditus, eas interpretari posset, is sane magnum profecto fructum utilitatemque universo literatorum cœtui afferret, qui plurimis ac præclaris cognitionibus, quæ in hisce monumentis continentur eà de caussà caret, quòd illæ ob hujusce linguæ ignorationem in tenebris jacent sepultæ.

TABULA XII.

Quod modo ob oculos ponimus Hetruscorum Monumentum, Perusiæ repertum fuisse, neminem latere volumus. Omnium primum cubantem intueamur Figuram, quæ lævo brachio in duo pulvinaria innititur, manuque dextera pateram affabre elaboratam detinet, adeo ut libationem aliquam facere videatur: eique caput frondea ac florea corona redimitur: occiput verò oblongo tegitur amictu, cujus limbus hinc subtus lævam defluit, illinc verò dextero ab humero in sinum sese implicat, cruraque & coxendices pube tenus contegit, superiori corporis parte denudata. Insuper duo e capite oblonga serta in pectus dependent, quorum alterum digito retinet. Exstat autem Hetruscum epitaphium in basi; subterque sex milites certantes, dispari quidem veste induti, cuncti tamen chlamidati. Ex his duo, alter pede supra aram encarpiis exornatam nixus: alter genu supra eamdem flexum habens; ambo sane scutis, brevibusque gladiis, vel latis pugionibus armati confligunt cum duobus pariter armatis; quibus sunt galeæ, gladii, ac lunati clypei, Amazonum peltis haud absimiles. Reliqui duo semianimes procumbere conspiciuntur. In angulis præterea mulieres duæ apparent, quæ Termini videntur, crinibus collectis ac fascia subligatis, sinu genuque ad usque medium crus detecto; singulæ singula volumina manibus tenentes, ad nænias fortasse canendas, ut pio hoc munere illorum militum pugnam prosequerentur, eoque pacto cantu simul & sanguine defuncti Manes propitiarentur.

Porro in hisce funebribus ludis, qui circa sepulcra celebrari consueverunt, Romani quidem modò militibus, modò pugilibus, ac plerumque Gladiatoribus utebantur. Ausonius *:

Et Gladiatores funebria prælia notum * Ep. 334.
Decertasse fero.

De ludicris hisce præliis verba faciunt Firmianus *, Prudentius *, ac Tertullianus, quorum postremus hæc habet *: *Olim, quoniam animas defunctorum propitiari humano sanguine creditum erat, captivos vel mali status servos mercati in exequiis immolabant: postea placuit impietatem voluptate adumbrare. Itaque quos paraverant armis, quibus tunc & qualiter poterant eruditos, tantum ut occidi discerent: mox edicto die inferiarum apud tumulos erogabant; ita mortem homicidiis consolabantur.* * Lib. 6. Instit. * In Symmach. * Cap. 12. de Spectac.

Jam verò Gladiatorum morem ab Appii Claudii & M. Fulvii Consulatu in funere Patris Brutorum initium cæpisse, refert Valerius Maximus *: *Gladiatorum munus*, inquit, *primum Romæ datum est in foro Boario, Ap. Claudio & M. Fulvio Coss. Dederunt Marcus, & Decimus Bruti filii, funebri memoria patris cineres honorando.* * Cap. 4. Lib. 2.

Ex hoc autem Hetruscorum tumulo conjici potest, apud Hetruscos huic muneri milites addictos fuisse; idemque apud Græcos in exequiis nobilium in more positum fuisse colligitur ex Athenæo *: Διύαλος δ' ὁ Ἀθηναῖος ἐν τῇ ἐνάτῃ τῶν ἱστοριῶν φησὶν, ὡς Κάσσανδρος ἐκ Βοιωτίας ἐπανιῶν, καὶ θάψας τὸν βασιλέα καὶ τὴν βασιλίσσαν ἐν Αἰγαῖς, καὶ μετ' αὐτῶν τὴν Κύνναν τὴν Ευρυδίκης μητέρα, καὶ τοῖς ἄλλοις τιμήσας οἷς προσήκει, καὶ μονομαχίας ἀγῶνα ἔθηκεν, εἰς ὃν κατέβησαν τέσσαρες τῶν στρατιωτῶν. Id est. *Dialus Atheniensis in libro historiarum narrat, Cassandrum, a Beotia regressum, Regi in Urbe Ægia cum Regina, atque Cinna Euridicis matre, sepulto, honores defunctis de-* * In IV.

X bi-

bitos reddidisse, ac mandavisse Gladiatorum prælium, in quo milites quatuor decertaverunt.

Florum denique, ac frondium corona, defuncti caput circumdans, & serta dependentia, veterum Romanorum consuetudinem indicant, quæ a Græcis emanavit. Nempe sepulcris coronas & flores apponere consueverunt, utpote mortuis jucundissima. Hinc Vergilius *:

* Æneid. Lib. 6.

Purpureos spargam flores; animamque Nepotis
His saltem accumulem donis.

Necnon Propertius *:

* Lib. 3. Eleg. 14.

Adferet huc unguenta mihi, sertisque sepulchrum
Ornabit custos, ad mea busta sedens.

Quem sane morem a Christianis quoque primævis sæculis servatum fuisse, prodidit Prudentius *:

* Hymno in Defunc. exeq.

Nos tecta fovebimus ossa
Violis, & fronde frequenti,
Titulumque, & frigida saxa
Liquido spargemus odore.

Pindarus * quoque, atque etiam Plato, Justorum felices animas in beatis insulis coronà redimitas esse edocet: ac Vergilius urbium conditores quercu insignes incedere scribit. Amantes denique myrtea serta gerere, quæ arbor Veneri sacer est, Tibullus commentus est.

* Olymp. Od. 2. vers. 28.

TABULA XIII.

Minime prætereundum videtur, quod hac in Tabula exhibetur Vas cum operculo, quæ sane vasa asservandis mortuorum cineribus extruebantur. In eo itaque plurima apparent simulacra albo colore in subobscura area expressa, idemque encarpis, aliisque ornamentis conspicuum cernitur; atque in pervetusto Hetruscorum monumento agri Perusini repertum fuisse, non me latet. In altera autem ipsius facie tres depictas imagines videre est; quarum medius Faunus Bacchantis manum arripit: uterque tamen thyrsum manum altera gestat. Tertia verò terga vertit, eosdemque saltantes intente spectat. In adversa præterea ejusdem Vasis facie tres pariter mulieres cernere erat, de quibus nil observandum occurrit, nisi quod Hetruscorum vestibus indutæ conspiciantur, quæ quidem haud absimiles eis videntur, quibus tertia hujus Tabulæ figura est amicta.

TABULA XIV.

Diota, quam hac in Tabula spectamus, Hetruscorum pariter vasculum, tres depictas præfert Bacchas, quibus encarpi, pampini, uvarumque racemi sunt ornamento. Quæ media est cornutum cyathum dextera stringit, & Bacchico œstro correpta ac percita videtur; eamque Mænadum ritu saltantem ac gesticulantem videre est. Quæ verò utrinque adstant, crepitacula quædam crotalis similia quatiunt, quibus in Bacchi Priapique Sacris Veteres utebantur. Hinc illud *:

* In Lusib. in Priap. epig. 27. vers. 3.

Cymbala cum crotalis, prurientiaque arma Priapo
Ponit, & adductà tympana pulsa manu.

Inter veterum anaglypha, quæ Bellorius collegit, Baccharum tripudium oculis exhibetur, in quo Crotalistria unà cum Tibicine, Lyrista, ac Tympanistria apparet. Hujusmodi autem Crotalistriæ in conviviis adhibebantur, ut dulcisona pulsantes instrumenta, ac saltationibus, convivas exhilararent; sicuti Juvenalis, ac Martialis indicant.

Crotalum porro ex duabus æneis laminis aut virgulis constabat, quæ manu agitatæ ex collisione sonum edebant argutum. Fiebat pariter ex arundine per medium fissa, cujus duæ partes sic movebantur, ut ex collisione sonarent. Idem hodie-

dieque fieri videmus ex duobus offibus, quæ digitis agitata, & invicem collifa crotalum efficiunt. Præterea hujus inftrumenti fragore Stymphalidas olim fuiffe abactas, docet Paufanias; fic enim ait *: Ἐστὶ δὲ τῷ ἐν Στυμφάλῳ κατέχει λόγος ὄρνιθάς ποτε ἀνδροφάγους ἐπ' αὐτῷ τραφῆναι. ταύτας κατατοξεῦσαι τὰς ὄρνιθας Ἡρακλῆς λέγεται. Πείσανδρος δὲ αὐτὸν ὁ Καμιρεὺς ἀποκτεῖναι τὰς ὄρνιθας οὔ φησιν, ἀλλὰ ὡς ψόφῳ κροτάλων ἐκδιώξειεν αὐτάς. *Fabulis vulgatum eft, Stymphali aliquando aves, quæ humana carne victitarent, ab Hercule fagittis confectas: at Pifander Camirenfis non peremtas eas ab Hercule aves, fed crepitaculorum fonitu e loco pulfas tradidit.* Ariftophanes infuper hominem nimis loquacem, ac fane verbofum κρόταλον appellat *:

*Arcad. five Lib. 8. cap. 22. Edit. Lipfiæ 1631. p. 640.

*In Nub.

Λέγει γενήσῃ τρῖμμα, κρόταλον, παιπάλη.

Quam ad rem fic Budæus *: Κρόταλος δὲ ὁ εὔγλωττος, καὶ εὔστομος, ἡ μεταφορὰ ἐκ τοῦ κροτάλου. *Crotalus autem* dicitur *loquax, ac verbofus*, fumta *metaphora a crotalo*. Idque fignificare voluit Juvenalis, quum inquit *:

*In Comment. L. G. ad verb. Κρόταλος.

*Sat. 6.

.... nec caufidicus, nec præco loquatur,
Altera nec mulier: verborum tanta cadit vis,
Tot pariter pelves, & tintinnabula dicas
Pulfari.

TABULA XV.

Altera ejufdem Vafis facies hìc exhibetur, quæ tres milites nobis ob oculos ponit; quorum duo utrinque aftantes criftatis galeis, fcutis rotundis, quibus appicta animalia funt ornamento, atque oblongis haftilibus muniuntur. Medius verò, quem propter adeffe canem confpicimus, fublatis manibus colloquenti fimilis cum illorum militum altero verba facit. Ejus caput peculiari fortaffe Hetruriæ galea opertum eft, in cujus vertice cornu prominet; ejus autem facies perfonata potius, quàm germanam hominis effigiem præferre videtur. Verùm hujufmodi Hetrufcorum fimulacra adeo inepta identidem deprehenduntur, ut nemini mirum videri debeat, fi ad unguem latentes omnes non explicantur fenfus, qui hujufce nationis picturis ac monumentis continentur.

TABULA XVI.

Duabus fane de cauffis plurimi faciendum arbitramur fictile hujufmodi Vafculum, quod omnium noviffimum attulimus; tum ex eo, quod fimulacra, quæ in eo expreffa apparent, haud parum nos erudiunt: tum quod in celeberrimo Clementis XI. Mufeo afſervari cognofcimus, qui profecto Princeps veterum monumentorum æftimator exftitit peritiffimus. Bina itaque in eo apparent fimulacra, quibus Ceres ac Triptolemus exhibentur, ftat quidem Ceres, ariftas dexterà præferens, quæ quidem raptam filiam toto orbe quum perquifiviffet, tamdem laffa ad Celeum Eleufium Regem pervenit, a quo perhumaniter hofpitio excepta, filium ejus recens natum alendum fufcepit, ac ferendarum frugum rationem docuit, eumdemque in alatorum draconum vehiculum impofuit, ut orbem peragrans frugum ufum mortalibus communicaret. Sedet itaque adolefcens, dexterà facem, lævà detinens ariftas, quas a Cerere accepit, ac Deæ fermones arrectis auribus captare videtur, ad ejufdem exequenda mandata paratus, univerfum nimirum terrarum orbem alatis ferpentibus vectus peragrando, ad ufum frumentorum hominibus indicandum. Qua de re hæc Ovidius cecinit *.

*Lib. 5. Metam.

.... Geminos Dea fertilis angues
Curribus admovit, frænifque coercuit ora;
Et medium cœli terræque per aera vecta eft,
Atque levem currum Tritonida mifit in urbem
Triptolemo, partimque rudi data femina juffit
Spargere humo, partim poft tempora longa recultæ.

Hujufmodi porro figuras fubnigra in area flavo expreffas colore confpicimus. In averfa denique ejufdem Vafis facie Simulacrum quoddam linteo involutum apparet, de quo verba facere fuperfedemus, quum nihil, quod fciam, nos erudire valeat.

EXPLICIT PARS TERTIA.

INDEX MONUMENTORUM SEPULCRAL.

IN APPENDICE.



TABULA I.

Pavimentum veteris balnei undique latum palmis XXX. lapillis albis, et nigris, opere musivo intermixtum, varijsque, ut patet, maritimis figuris eleganter ornatum. Sub Neptuni tutela balneum istud positum, dicatumque fuisse, ex Circensibus etiam, seu Neptunalibus ludis, qui in eius parietibus musiua pictura elaborati, nunc in tribus tabulis insequentibus exhibentur, satis apparet. Detectum fuit anno 1670. ultra Circum Maximum in horto quodam vulgo il Carciofolo, qui prope viam Appiam sinistrorsus remanet. Quadrum, quod in eius medio visitur, ad exeuntes aquas balnei suis foraminibus excipiendas inseruiebat. Precipuę huius pavimenti figurę sunt Amphitrites uelo super caput expanso, et tres Nereides, Marinis Equis insidentes.




TA

Opus Musivum olim in tholo Templi, quod vulgo creditur Bacchi, ni
dividunt Segmenta, ubi plura autumnales ferias, et piscationis Genium dem

Petrus Sancte Bartoli delin.



,II.
ancte Constantie extra Portam Piam. Cariatides, et Telamones in duodecim
t, iuxta interpretationem Ciampini qui mediatatem exhibet Veterum monum: Parte 2ª.



Hæc pictura ad Titi thermas pertinuit: Baccho dicatum cubic
primoque loco depicta, probantque circum positę plurimę mino



A III.


r, cujus lacunar ea implebat, ostendit ipsius Bacchi imago summo,
tabulę, in queis cuncta ad Bacchi sacra, mysteriaque referuntur.




TAB.

Pictura, quę Domus Titi fornices exornabat, plures exhibens Genios in bigis,

Petrus Sancte Bartoli delin




III.
...sque puerorum ludos, et piscationem, ultra alias principales figuras.



T

Quarta pars plastrici cuiusdam lacunaris Ther

Petrus Sancte Bartoli delin



LA V.
rum Titi in cuius segmentis picturae adhuc supererant.

Vetus Pictura, qua cubiculi Thermarum Titi Imperatoris lacun...
fulmen minax in hominum exitium torquere videtur: circumſtant triplu...

Petrus Sancte Bartoli delin.



...ibatur. Juppiter nubi insidet, proximè adstante Aquila, dextraque
... Deorum, Dearumque imagines: quartumque ordinem implent Tritonum lusus.




TABULA VII.




Antecedentis cubiculi ad Domum Titi ſpectantis ornamentum picturę alię,
quę natantem Venerem, pueroſque in littore, vel in Cymbis
ludentes repreſentant

Petrus Sancte Bartoli delin.



TA

Antiqua Pictura



ULA VIII.
Thermis Imperatoris Titi eruta





TABULA IX.
Picturae antiquae in aedibus Marchionis de Maximis



TABULA X.

Pictura antiqua in thermis Constantini Magni prope Palatium Pontificis Quirinale reperta anno CIↃ IↃ CC X.

F. Ant. Fazzi Sculp.



TABULA XI.

Opus musivum repertum in Tusculo. Nunc in Museo Kircheriano adservatur

F. Ant. Pazzi sculp.



TABULA XII.

Musivum opus ex Fano Fortunae Praenestinae erutum, ac in Aedes Barberinas translatum



TABULA XIII.

Vetus pictura in Thermis Constantinianis reperta Anno 1710.

P. Ant. Pazzi Sculp.




TABULA XIIII.

Musivum opus supra portam maioris aulae in Palatio Excell. Principis Albani collocatum



TABULA XV.

Ioseph Vasi sculp. *Pictura Vetus ex Thermis Constantinianis in Monte Quirinali*



TABULA XVI.

Pictura antiqua in aedibus Eminentissimi Cardinalis Passionei



TABULA XVII.

Pictura antiqua in Thermis Constantinianis reperta

Philip. Morghen sculp.



1 *Sedet nova nupta in geniali toro, faciei detracto flammeo, corpore tamen toto pre verecundia, albenti palla undiq; obducta. Demisso vultu meret, luget, mox pudicitiam amissura. Sedentis de more pedibus aureum scabellum subijcitur; et fulgent genialibus altis aurea fulcra toris.*

2 PRONUBA *Sponsam amplectitur, eiq; blanditur, suadetq; vt flere desinat, neq; timeat ad virum prodire. Myrto venereo coronatur.*

3 *Sponsus redimitus hedera quae ysi… expectans huc faciunt illa Catull… sus maritus sponsam praestolat…*

4 *Balnearia ministra, altera man… lauatione, experiturque tepi…*



ugij symbolū est, nudus sedet in limine thalami, sponsā
Aspice imus ut accubat. hoc est prope humum demis.
rem tenet, alteram iniicit in concham seu argenteam
tum.

IMAGO ANTIQUÆ PICTURÆ NOVAM NUPTAM
centum ferè ab hinc annis effossa in Exquiliarum ruinis
Hortis in Quirinali unicum veteris



IN GENIALI THALAMO REFERENTIS
ad Arcum Gallieni. Visitur in Aldobrandinis Pamphilianis artis exemplar, et miraculum.

5 Aquariola è cratere frigidam calidæ miscet, ac decumberet cũ Sponso, aqua spargebatur, ut cas
6 Alia ancilla tabulam forte præfert, in qua doc
7 Alia Pronuba columellæ, seu mensæ innixa, dex ut unguento, vel oleo, sponsæ ablutæ corpu



...nducit; namq, nova nupta antequam ...
... ad virum accederet.
...abantur
...um, Sinistra catillum instar conchilij tenet,
... vngat, adhibito Iunonis vnxiae numine.

Ab eius collo monile, seu segmentũ aureę dependet, eademq, armillis brachia circumdat
8 Balneatra alia paterã tenet, et aquã in conca, seu miſcet, seu experitur, longa tunica, ac duplici breuiori palla induitur. 9 Tripus balnearis aureę pendentib' hinc inde anſis, in quo differens lauatio.
10 Lyriſtes fides pulſat, choreasq, ducit, tintinnabulis capite redimito; induta manicatâ stolâ, faſtijs ad imos pedes fimbriata. 11 Poetria radiatâ corona inſignis ad lyrã canit epithalamiciũ; hanc alij sacrorũ Reginam ... ferant



TABULA XIX
Musivum ex Museo Capitolino

P. Ant. Pazzi Sculp.

ANIMADVERSIONES
AD APPENDICEM
VETERUM MUSIVORUM,
ET PICTURARUM.

ANIMADVERSIONES AD APPENDICEM VETERUM MUSIVORUM, ET PICTURARUM

TABULA I.



Ulli dubium erit hoc pavimentum balneo ſub Neptuni tutela poſito ſubſtratum fuiſſe, ſi ad tridentes, delphinos, equos marinos, anguillas, polypos ibi expreſſos reſpiciat. Tridens, quem Martianus 5. *Trifidam haſtam* appellat, illi adpingitur, quo triplex aquæ qualitas deſignatur, nempe quod ſit liquida, fœcunda, & potabilis, ut adfirmat Fulgentius in Mythologiæ libr. 1. c. 3. Delphinus vero gratiſſimus Neptuno piſcis ſecundum Hygini ſententiam, quare *aut in manu, aut ſub pede ejus delphinum conſtituere videmus*. Velum expanſum ſuper caput unius ex his quatuor mulieribus, ſeu Deabus proprium eſt marinorum Numinum, ut videre in noſtris Animadverſionibus ad picturas & ſculpturas ſacrorum cœmeteriorum Tom. I. pag. 131, in quo Virgilii, & Auſonii teſtimonia proferuntur. Pavimenta autem muſivo opere ornata fuiſſe teſtatur Apulejus Met. libr. 5. p. 142. *Pavimenta ipſa* (ait) *lapide pretioſo cæſim deminuto in varia picturæ genera diſcriminantur*. Cæterum mos erat divitibus balnea picturis ornare. Quare Seneca * de balneis loquens jure, & merito ſcribit Lucilio ſuo: *Pauper ſibi videtur, ac ſordidus, niſi parietes magnis, & pretioſis orbibus refulſerunt; niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt; niſi illis undique operoſa, & in* PICTURÆ *modum variata circumlitio prætexitur*. Forte hic de Muſivis intelligit Seneca, dum ait *in picturæ modum*, quod luculentius expreſſit Symmachus * his verbis: *In minoribus balneis piſcinalem picturis potius, quam* MUSIVO *excoli non probavit*. Cætera vide ſis in calce hujus Tabulæ.

* Sen. epiſt. 86.

* Symm. 6. ep. 49.

TABULA II.

Innumera propemodum animadverſione digna occurrunt in hoc egregio Muſivo, quæ longum eſſet hic ſingillatim enucleare; neque omnia certa, ſed incertis plurima conjecturis innixa forent, quamobrem ea erudito Lectori perpendenda relinquimus. Ornamenta, quæ tholum dividunt, quæque vulgo *grotteſchi* appellantur, elegantiſſimi operis laudem promerentur; & ex illis multa derivavit in ſuas hujuſmodi picturas Raphael ille Sanctius recentiorum pictorum facile princeps, ſeu ejus diſcipulus Johannes Utinenſis in xyſtis Vaticanis, ut facili negotio deprehenditur, ſi hoc Muſivum cum illis conferatur. Caryatides, quæ in duplicem gyrum tholum ſuſtinent, omnino reſpondent Vitruvii * verbis, quæ eas ferme nobis delineaverunt; imagines enim erant matronarum Caryæ in ſervitutem adductarum cum ſtolis, cæteroque matronali ornatu, quas, qui tunc architecti fuerunt, ædificiis publicis deſignaverunt oneri ferundo collocatas. Voſſius, & ex eo Pitiſcus * vitio vertunt hodiernis architectis, quod manibus, brachiiſque demiſſis effingunt Caryatides, quod tamen, ut illi ajunt, minime eſt concinnum; in quo falſi ſunt viri alioquin eruditi; neque unquam hoc affirmaſſent, ſi noſtrum hujus Tabulæ Muſivum conſpexiſſent, & præcipue illum Caryatidum gyrum, centro tholi propiorem, ubi Caryatides omnes demiſſis brachiis adſtant. Hæ imagines in calce ejuſdem Tabulæ *Telamones* nuncupantur, ſed non omni-

* Vitruv. libr. 1. cap. 1.

* Pitiſc. in V. Caryatides.

omnino proprie; Telamones enim *nostri appellant*, ut ait Vitruvius *, *siqua virili figura signa, mutulos, aut coronas sustinent; cujus rationes quid ita, aut quare ex historiis non inveniuntur. Graeci vero eos ἀτλάντας vocant.* Quae verba minime nostris his matronarum imaginibus, sed potius illis, quas terminos vocant, in quibus pingendis egregium, & excellens praetulere artificium Annibal, aliique Caraccii. In duodecim tabellis, quae tholum pone summitatem circumdant, depicti sunt Satyri, atque Bacchantes singillatim tum viri, tum mulieres; & ex iis nonnulli dant tripudia, & gesticulationes, & saltatione fortasse phallica Bacchum honorant, cujus propria erat haec saltatio, ut ait * Pollux. Quare alii pedum, alii cantharum, alii alia Bacchica vasa, & instrumenta gestant. Verum inter inferiores Caryatides, majore statura effictas, quamplures exstant virorum, & feminarum figurae elegantissimae, quae quid agant, si enarrare velim, ariolum me evadere oporteret; quapropter eruditioribus divinandum relinquam. In extima, superioreque hujus Tabulae parte evidenter apparet Daedalus, Icarusque pennis jam dorso aptatis e carcere Minois aufugientes. Daedalus quidem uti senior segnius e turre erumpit; Icarus vero junior, & alacrior jam liquidum alis tranat aera.

* *Vitruv. l. 6. cap. 10.*

* *Pollux l. 4. cap. 14. pag. 406. Edit. Amstel. 1706*

Ad pedes majorum Caryatidum prostant hinc inde duo tygres seu lynces, aut patherae animalia Baccho sacra, quod Bacchus idem sit apud Mythologos ac Sol, cujus pernicitatem denotant haec animalia; vel quod panthera calidissimum sit animal, ut ait Philostratus *.

* *Philostrat. Imag. libr. I. n. 19 p. 793. Edit. Lip. 1709.*

In extima hujus tholi parte quamplurimi Genii piscationi operam dantes conspiciuntur iisdem ferme artificiis, quibus in praesentia utuntur piscatores. Nonnulli enim arundine, & amo pisces captant, quorum meminit Ovidius: *

Miles erat gladio, piscator ARUNDINE *sumpta.*

Ac alibi:

Hos aliquis tremula dum captat ARUNDINE *pisces*

* *Ovid. Metam. l. 14. v. 651. A. 2. v. 77.*

Et luculentius sane Avienus *, vel Avianus.

* *Avien. fab. xx.*

Piscator solitus praedam suspendere seta,
Exigui piscis vile trahebat onus.
Sed postquam superas captum perduxit ad auras,
Atque avido fixum vulnus ab ore tulit &c.
Pinguior ad CALAMUM *sponte recurro tuum.*

Nonnulli longum expandunt rete, quod sagenam appellarem, Italice *tramaglio*, si ad Manilii * carmen respiciamus:

* *Manil. libr. 5. v. 674.*

Excipitur VASTA *circumvallata* SAGENA.

Nonnulli repagulis fixis insidias piscibus fecisse videntur, circa quae anates, ut fit, placide natant. De variis instrumentis, atque artibus, quibus captantur pisces, videndus Oppianus, & Pollux * in Onomastico, necnon Aelianus * de animalibus.

* *Pollux libr. 2. cap. 9. pag. 68. lib. 10. cap. 30. p. 1313.*
* *Ael. de animal. libr. 12. c. 43.*

T A B U L A III.

NIl addendum in hujus Tabulae enarratione praeter quod in calce ejusdem scriptum est. Picturae, quae in quibusdam tabellis sparsim in hoc lacunari cernuntur, nil aliud nobis ob oculos ponunt, quam bacchantium, & baccharum choreas, ludos, & sacrificia, Satyriscos, caprosque inter se luctantes, quae omnia ad Bacchanalia spectare nullus nescit. In medio sedet ipse Deus corona redimitus eo modo, quo Ovidius * illum ad vivum nobis expressit hoc carmine:

* *Ovid. Met. libr. 3. v. 666.*

Ipse racemiferis frontem circumdatur uvis

Vel Nemesianus * in Eclogis:

* *Nemes. eclog. 3.*

Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis
Vitea serta plicas.

Ille velut ebrius sedet Sileno innixus, qui eum ferme resupinum sustinet dextro brachio, sinistra vero manu thyrso fulcitur. Ex alia parte adstat satyriscus quidam,

dam, qui pateram ſupponit racemo, ex quo vinum Bacchus exprimere videtur. Per totum lacunar Nymphæ, & Fauni, Satyrique conſpiciuntur, cujus rei rationem idem Poeta attulit dicens ibi:

Hunc Nymphæ, Faunique ſenes, Satyrique procaces
Vos etiam Nyſæ viridi nutriſtis in antro.

Genii etiam in ædiculis caniſtros geſtant floribus refertos, ſub quibus etiam alios majores cernere eſt floribus itidem onuſtos, qui naſcente Baccho e terra erupere, ut ait Avienus * in Deſcriptione Orbis Terræ: * Avien. v. 1122.

. . . . . . Tellus effudit dives odores &c.
Ver habuere ſuum nova gramina: flore frequenti
Pinxit Terra ſinum.

Quod ſi *florens Jacchus* apud Catullum *, & Bacchus ἄνθιος apud Græcos nuncupatur propter juventam, quæ illi perpetua eſt: * Catull. ep. 61. v. 251.

Solis perpetua eſt Phœbo, Bacchoque juventa,

inquit Tibullus (& Ovidius *puerum æternum* eum appellat) etiam hoc ipſum flores illi conſecratos innuiſſe credendum eſt.

In extrema parte hujus lacunaris in dextera præſentis Tabulæ Mænas quædam adſtat pone aram incenſam, ſiniſtraque ſerpentem prænſat, cujus rei Avienus idem *, eodemque loco mentionem inducit his verſibus: * V. 1369.

Mænades &c.
. . . . viroſo pectus cinxere dracone
Pro molli vitta, prorepunt crine chelydri.

Et multo ante Horatius *: * Horat. Carm. libr. II. Ode 19. ver. 20.

Nodo coercet viperino
Biſtonidum ſine fraude crines.

Nec crinibus ſolum, ſed & πλοκάμοις ſerpentem circumdabant Bacchantes, ut ex Euripide didicimus.

TABULA IV.

IN medio fornice viri cujuſdam, & mulieris effigies, quemadmodum aliæ, quæ in quatuor circulis ad angulos hujus fornicis collocatis conſpiciuntur, cujus ſint, divinare non licet, quum neminem, qui ad Titi familiam ſpectet, repræſentare videantur, quorum in nummis exſtet imago. Evidens eſt Romano more indutos eſſe. Mulierum colla ornantur margaritarum lineis, quæ lineæ *divites* a Martiale * appellantur: * Mart. libr. 8. epigr. 78.

Omnis habet ſua dona dies, nec linea DIVES
Ceſſat.

Ideoque margaritæ pertuſæ erant, ut docet Servius *. Harum linearum uſum hinc eruitur fuiſſe ſatis antiquum, earum autem mentio fit vel apud veteres juriſconſultos. Scævola enim L. 26. ff. ad legem Falcidiam ait: *Lineam margaritarum triginta quinque legavit; quæ linea apud legatarium fuerat mortis tempore.* Filum prægrande videre eſt in hoc ornatu majuſculis conſtans margaritis, ſed diſſitis, quibus inſiſtunt duodecim Genii calathis florum plenis onuſti in quatuor turmulas diſpertiti, in unaquaque trini. Notanda eſt forma bigarum, quibus juncti ſunt cervi, hæc enim paſſim in gemmis conſpicitur. Cervorum colla torquibus ornantur. Qua de re vide ſis Pitiſcum in Lexic. Antiq. V. *Torques*, vel *Margarita*. In extima parte innumeri puelli genialibus ludis indulgentes inſpiciuntur. Qui in angulis fornicis locati ſunt, cymbulam gubernant, & conto ſubigunt, vel natatui, & piſcationi ſtudent, ut in angulis ſiniſtris A, & B: vel cymbam ad littus appellunt ad alios pueros ſubvectandos, qui tunicati in littore conſiſtunt, ut in angulo C. Alii vero præternavigantes cymbala ſupplodunt, & celeuſma reſonant, ut in angulo D. Prope cymbas exſtant quatuor Tritones frondibus coronati, immanem concam, ſeu buccinam in collo ferentes, quam perſonare ſolitos exploratum eſt; unde Ovidius * *Tritona canorum* nuncupat. Inter duos angulos B * Serv. ad Æn. libr. 1. v. 655. * Met. libr. 2. verſ. 8.

& C. Medii ſunt pueruli tunicis præcinctis induti, qui operam dant florum culturæ. Inter angulos autem C & D medius ſtat magiſter togatus pone abacum, cui adſtat pupulus penulatus cum cucullo dexteram ſuſtollens, quaſi quid memoriter recitet. Ex alto dependent præmium, & punitio, ferula nempe peculiari modo contexta, & corolla ſoluta, quam manibus contrectat magiſter, eamque puero demonſtrat, quaſi illum præmiis allicere malit potius, quam caſtigatione coërcere, ſecundum Quintiliani aureum de inſtituendis ingenuis præceptum. Ferula hæc non ex herba quadam cognomine videtur compacta, ſed vel ligneola, ut illa, de qua Martialis ait:

Ingratæ nimium pueris, gratæque magiſtris,
Clara Prometheo munere LIGNA *ſumus:*

vel coriacea, vel ex cannabe contorta, qua puerorum manus cædebant magiſtri,
*Juvenal. Sat. 1. v. 15. & pædagogi. Hinc Juvenalis *:

Et nos ergo manum ferulæ ſubduximus.

Et Prudentius: *
* Prud. Cathem. in præfat. v. 7.

Ætas prima crepantibus
Flevit ſub ferulis.

Hinc & inde alii pueri colludentes, & ſacra imitantes, ut nunc quoque noſtris moris eſt. Arulas extructas videas, frondibus ornatas, ſuper quas ſigillum poſitum; in dextera Dianæ venatricis, in ſiniſtra Veneris Anadyomenes. Huic myrto coronati cyathum in altum ſublatum ferunt, illi autem varia libamina. Notandus eſt puer ille cum flabello ante aram Veneris, ex quo quam antiquus ſit ejus uſus etiam in ſacris evincitur, ad abigendas muſcas ne liba attaminarent.
* De A. A. 1. 161. Flabellum quoque inter inſtrumenta venerea adnumeratur ab Ovidio. * In oppoſita fornicis parte hæc eadem puerilia ſacra cernuntur, quibus autem numinibus facta ſint, non auſim adfirmare; ſed ſi conjectari licet, ſigilla aris impoſita Jovem alterum, alterum Minervam referre videntur. Jovis enim ſimulacrum, ut plurimum ſedens offendimus, ut tanto Numini maxime decet, quod pater hominum, atque Deorum paſſim appelletur. Suſpicor hîc pueros quemdam ex eis ad jurandum adigere. Ille vero ſtrenue repugnare, nam illum invitum, & totis viribus repugnantem ad tangendam aram protrahunt, ut moris erat eorum, qui jusjurandum ſuſcipiebant. Plautus Rud. act. 5. ſc. 2. v. 26.

TABULA V.

IN hac Tabula videre eſt quarta pars plaſtici operis, quod in fornice cujuſdam cubiculi Thermarum a Tito Imperatore in Monte Exquilino ædificatarum exſtabat, quod temporis injuria, vel hominum negligentia jamdiu periit. Si integram hujus lacunaris graphidem haberemus, nonnulla fortaſſe proferre poſſemus, quæ ad ejus enarrationem conducerent. Verum quum undique detruncatum appareat, Oedipo potius, quam antiquitatum gnaro opus eſt. Centaurorum concertationes, puellarum puerorumque luſus, Europæ raptum, Bacchantes nudi cum thyrſo, pampiniſque coronati, hic ſparſim delineati, non indigent longiore ſermone, aut explanatione, quum per ſe manifeſte appareant. An autem hæc omnia ad Bacchum ſpectent, videant eruditi. Tot tigres undique diſſiti ſuſpicionem nonnullam movent, ad hoc Numen ea omnia pertinere. Verum quid ad Bacchum currus ille inter undas a quodam marino Genio impulſus, qui in medio laqueare conſpicitur, præſertim quum in eo inſideat vir, vel mulier veſtimento velata? Sed quid in extima parte matrona quædam cum infante, Romano more ambo induti? quæ pictura non ad fabulas, ſed ad hiſtoriam referenda eſſe videtur. Quidquid tandem ſit mirificum opus eſt, ſummaque elegantia cælatum.

TABULA VI.

IN fornicis culmine Juppiter apparet, qui *fera terribili jaculatur fulmina dextra*, ut ait Ovidius *. Tria autem fulmina torquet, quia tria esse fulminum genera putarunt Antiqui, Servius * tamen quatuor numerat, nempe disjiciens, transfigens, corripiens, insigens. Hæc peculiaria Jovis arma credebantur, quamobrem Virgilius ait:

* *Ovid. Metam. libr. 2. vers. 61.*
* *Serv. ad libr. 2. Æn. v 43.*

Ipsa JOVIS RAPIDUM *jaculata e nubibus* IGNEM.

Multa a Romanis superstitiose fiebant, & sacris quibusdam, & precationibus fulmina vel procurata, vel impetrata dicuntur, & ad illa elicienda Jovi Elicio aram Numa in Aventino dicavit *. Quapropter hîc pictum fuisse Jovem crederem, ut ab hac fornice, & cubiculo fulmina arceret, ac alio ea torqueret. Hinc in gyrum multa delineata sunt sacrificia, & libamina aris imposita ante Numinum simulacra, & in extima fornicis parte quædam veluti supplicationes, quales fieri solebant in prodigiis ad averruncandam Deorum iram, ac præcipue: *Ob fulminibus complura loca deformata ad ædem Jovis* supplicationes factas narrat Livius *. Tritonum lusus non solum in quarto ordine, sed etiam inter secundi ordinis imagines conspiciuntur, ultra quam dici possit elegantissimi, ex quibus multa derivavit egregius ille Raphael Urbinas, & Johannes Utinensis in xystis Vaticanis. Quid vero cum Jove Tritones, Diique marini commune habeant prorsus nescio. Tantum scio fulminum expiatio aliquando etiam piscibus procurari, ut constat ex Ovidio *.

* *T. Liv. libr. 1. 20.*
Ovid. Fast. libr. 3. v. 327.
* *Idem libr. 45. 45.*
* *Fast. libr. 3. v. 342.*

Ad supplicationes celebrandas, quæ in extima hujus tabulæ parte conspiciuntur, non tantum viri, sed & feminæ conveniunt, quod distincte notavit Livius *: *Ingentique turba non virorum modo, sed etiam* FEMINARUM *conferta tota Urbe Deorum immortalium templa*.

* *L. 3. c. 7.*
* *Liv. l. 45. 2.*

Quæ in medio est imago Numen aliquod refert veluti in suggestu sedens; supplicationes enim non ad unum tantum Deorum fiebant, sed ad omnes; quamobrem omnia eorum templa patebant, teste Livio *: *Quum consul edixisset, ut* OMNES AEDES SACRAE APERIRENTUR, *pro se quisque ex concione ad gratias agendas ire Diis &c.* Et alio loco *: *Ad id, quod sua quemque mala cogebant, auctoritate publica evocati*, OMNIA DELUBRA *implent*. Ac etiam magis aperte hoc idem innuit: * SUPPLICATIO *inde a consulibus in triduum ex S. C. indicta est, obsecratique circa* OMNIA PULVINARIA DII. Ac tandem, ut uno verbo omnia complectar *: *Prætor extemplo edixit, ut æditui ædes sacras omnes tota Urbe aperirent, circumeundi, salutandique Deos, agendique grates per totum diem populo potestas fieret*.

* *Liv. l. 45. c. 2.*
* *Liv. l. 3. 7.*
* *Liv. l. 31. c. 8.*
* *Liv. l. 30. c. 17.*

TABULA VII.

IN superiore hujus Tabulæ parte Venus natans inspicitur, Venus inquam, *quæ mare navigerum, quæ terras frugiferentes concelebrat*, ut cum Lucretio * loquar, & cui *suaves Dædala tellus submittit flores, cui rident æquora ponti*; quod fortasse innuunt duo illi Genii, qui in littore stantes, manusque sustollentes, videntur Veneri flores ostentare. Dea cetera nuda, armillis, & dextrocheriis ornatur. Si Festum audias, armillas *mulieres gestare solebant in brachio sinistro*, quod patet etiam ex Livio *, quo teste: *Sabini aureas armillas magni ponderis brachio lævo* habebant. Nonnulli *spinther* hanc sinistri brachii armillam appellari credidere. Verum etiam ambobus brachiis hoc ornamenti genus in Scriptura * tribuitur. Veneri autem pulchritudinis, ac voluptatis Deæ, cui omnem muliebrem mundum decebat, in utroque brachio, & utraque manu hujusmodi ornamentum addidit pictor. Genii duo circumvolitantes velum capiti Veneris obpandunt, ut mos est marinorum Numinum. Qui in littore adstant Genii tunicati sunt, ex quibus nonnulli succincti, alii vero omnino nudi. Unus ex iis tibia canit, ceteri conclamantes, manusque tollentes in lætitiæ argumentum. In inferiore hujusce Tabulæ parte itidem Ve-

* *Lucr. libr. 1. v. 3.*
* *Liv. l. 1. xi.*
* *Gen. cap. 24. v. 22. 30.*
Ezech. cap. 16. v. xi. & cap. 23. v. 42.

Venus delineata eſt in ſcopulo ſedens, corollam dextra, ſiniſtra vero pateram tenens; ad cujus latus mulier ſtola amicta ſedet, eique præbet famulatum. Tres hinc inde naviculæ Geniis refertæ, ſeu Jocis, quos Veneri circumvolitare inquit Horatius *, quorum alii ſagenam trahunt piſcationi operam dantes, cæteri vero luſibus indulgent. Hic enim tibia canit in cymba proximiore, ad cujus ſonitum ceteri celeuma cantant. Duo potiſſimum coronati manum ſuſtollunt dexteram, ceteris quaſi jubeant. Hi Hortatores ſunt, Græce κελεύσται, unde Gloſſæ veteres κελευστὴς *hortator remigum*; qui clamore illo nautico, qui celeuma, ſeu celeuſma nuncupabatur, remiges vel ad remigandum ſtrenue, vel ad quieſcendum impellebant. In Gloſſis Cyrilli habetur κέλευσις *juſsio*. Vox autem, qua jubebantur fortius remis incumbere, erat ῥυππαπαι: altera, qua a remigando deſiſtere, ὤοπ, ut ex Ariſtophane *, ejuſque Scholiaſte patet. Hinc Rutilius in Itinerario *.

Dum reſonat VARIIS *vile celeuſma* MODIS.

Nonnunquam pro voce, concuſſione lapidum utebantur, quod facere videtur Genius ille, qui ſtat erectus in prora; quem morem colligimus ex Xenophonte *. Pedianus vero aliter hoc fieri diſertiſſime his verbis enarrat: *Cani remigibus celeuſma per ſymphoniacos ſolebat, & per aſſam vocem ore prolatam, & ut in Argo navi per citharam*. Quæ omnia in hac pictura perbelle diſtincta apparent.

* *Horat. libr. 1. od. 2.*
* *Ariſtoph. Ran. 4. 2. & de Avib. p. 606.*
* *Rutil. Itin. 1. v. 369.*
* *Xenoph. l. 5.*

T A B U L A VIII.

ROmani antiqui thermarum *numerum ad infinitum auxere*, ut ait Plinius * Junior. Subdit vero Ammianus *: *Admiranda eſt earum amplitudo, & numerus*, quem octingenteſimum exceſſiſſe teſtatur P. Victor. Ea autem magnitudine extructæ fuere, ut non civitatum, ſed provinciarum imaginem retuliſſe idem Ammianus adfirmet. Innumeræ quapropter erant thermarum partes; ſed omnes ferme, vel potius omnino, maximo eruditorum damno periere, tanta fuit barbarorum hominum tam noſtratium, quam exterorum injuria, vel tanta temporis quæque vorantis potentia. Quamobrem plurimi facienda eſt hæc pictura nonnullas thermarum partes, earumque uſum ob oculos ponens, quæ in thermis Titi, uti cæteræ in ſuperioribus tabulis inciſæ, reperta eſt; quæ thermæ in monte Exquilino prope eccleſiam, cœnobium, & hortum S. Petri ad vincula exſtabant, quarum nunc informes admodum nonnullæ ſuperſunt reliquiæ. De his mentionem facit Svetonius * dicens: *Amphiteatro dedicato, thermiſque juxta celeriter extructis &c.*; ad quam celeritatem reſpiciens Martialis *, ſeu Auctor libri de Spectaculis cecinit:

Hic ubi miramur VELOCIA *munera* THERMAS.

Thermás autem picturis, & ſtatuis ornatas fuiſſe, nullus eſt, qui neſciat. Videndus ſaltem Seneca, qui epiſt. LXXXVI. *Quid*, ait, *quum ad balnea libertinorum pervenero? quantum ſtatuarum &c. Illis undique operoſa, & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur*. Sed expreſſius de picturis loquitur Symmachus epiſt. 6. 50. *In minoribus balneis piſcinalem picturis potius, quam muſivo excoli non probavi*. In hac vero pictura non unum tantum, ſed plura inſpiciuntur cubicula, quæ inter ſe diſcernuntur pergula quadam, Italice *corridojo*. In eo, quod dextrorſum cernitur, labrum ineſt, in quo tres lavantur viri, duobus miniſtrantibus, qui circumſtant, ſervis; omnibus vero ad honeſtatem linteo præcinctis. Hoc labrum lapideum erat ex elegantiſſimo marmore Numidico, atque admirandæ magnitudinis, quod Ferdinandus Cardinalis Mediceus in hortos ſuos ſupra collem Pincium conſitos tranſtulit, ubi nunc quoque viſitur neglectum, ac terra ferme obrutum lacrymabili incuria.

* *Plin. libr. 4. ep. 8.*
* *Ammian. libr. 16. c. 6.*
* *Suet. in Tit. cap. 7.*
* *Mart. De Spectac. epigr. 2.*

Siniſtrum cubiculum nobis contemplandum præfert vaporarium, quod Laconicum Veteres nuncupabant, ad quod reſpexit Martialis * illis carminibus:

Ritus ſi placeant tibi Laconum,
Contentus potes arido vapore.

Lacones enim, ut placet Dioni *, imprimis ſudatione cruditatem excoquebant; quam-

* *Mart. libr. 6. epigr. 42.*
* *Dio l. 53. p. 515.*

quamobrem Columella in procemio: *Quotidianam cruditatem Laconicis excoquimus, & exucto sudore sitim quærimus*. Igitur Laconicum prima erat balneorum cella, in qua sudorem provocabant incluso calore sicco, quam *sudationem, assam* vocat Cornelius Celsus *, ad discrimen ejus, quæ aqua calida provocabatur in altera cella. Hujus assæ sudationis meminit etiam Cicero * scribens ad Q. Fratrem. In cubiculis balneorum, qui ea adire solebant, non solum sudorem procurabant, sed etiam ungebantur, cui rei operam dare videntur ii quinque viri in eadem hac cella picti, qui in ædiculis vulgo *nicchie* sedent, quæ ad elegans cubiculi ornamentum extructæ videntur, vel ut unusquisque seorsim fortasse, ac secretior esset. In angulo ejusdem cubiculi depressius, & angustius conspicitur hypocaustum cameratum, in quo ignis ardet in rotundo vase fortasse cupreo, vel cretaceo, ut apud nos hodie quoque moris est, quod Italice *caldano* appellamus. Igni insidet globus ingens, ipse etiam fortasse cupreus, cujus usum omnino me ignorare fateor, ni forte ad calorem minuendum augendumve uterentur Antiqui, qui globus catenæ adligatus videtur, qua ex igne detraheretur, si majore calore opus foret. Hoc ipsissimum, quod in hac pictura cernitur, videtur pinxisse Plinius * junior his verbis: *Applicitum est cubiculo hypocaustum perexiguum, quod angusta fenestra suppositum calorem, ut ratio exigit, aut effundit, aut retinet*. Vaporarium etiam vocabatur locus hujusmodi, ut patet ex Cicerone * ad Q. Fratrem: *Vaporarium*, inquit, ex quo *ignis erumpit*, sed intelligendus calor ignis. Multa hic præterea vaporaria delineata apparent, & varia ratione extructa. Præcipua animadversione, quæ dextrorsum in hac Tabula picta sunt, digna esse arbitror propter tria illa vasa pendentibus ansis ornata; quæ lucem accipiunt a Vitruvii verbis, & illis mutuam lucem regerunt. Verba autem præclarissimi scriptoris * hæc sunt: *Ahena supra hypocaustum tria sunt componenda* (ut hic composita conspiciuntur) *unum caldarium, alterum tepidarium, tertium frigidarium; & ita collocanda, ut ex tepidario in calidarium, quantum aquæ calidæ exierit, influat; de frigidario in tepidarium ad eumdem modum; testudinesque alveorum ex communi hypocausi calefacientur*. Nullo modo fieri posse videtur, ut ex eodem hypocausto tria vasa superposita tres diversos caloris gradus mutuentur; at ex hac pictura nullo negotio luculenter intelligitur. Etenim quum vasa in diversa altitudine disposita sint, diversos etiam caloris gradus suscipere necesse est. Quamobrem si verba Vitruvii bene perpendantur, ac diligenter pensitentur, videbimus superius vas frigidarium esse, medium tepidarium, ac demum inferius calidarium; quamvis Vitruvius ea perturbato ordine recenseat. Nec reputandum alteram flammam ex altiore fundo exsurgere, sed omnes ex eodem solo originem trahunt, at repagulo ad ornamentum fortasse picto solum obtegitur. Sub vase supremo, quod frigidarium est, nec ignis lucet, nec, si luceret, quum amplior sit camera subter extructa, tantam caloris vim haberet; præterquamquod magis ab igne vas distaret. Præter duo cubicula in fronte hujus Tabulæ delineata, tria alia oblique depicta inspiciuntur, quorum primum apodyterium nuncupabatur, ubi qui lavatum confluebant, sese exuebant, ac vestes deponebant in capsis, seu pluteis, qui hic expressi sunt. Ad calcem horum pluteorum vir quidam sedens caligas sibi detrahere videtur. Adstat puer capsarius, qui mercede conductus vestimenta suscipiebat, ac in capsis, seu loculis custodienda includebat. Ne autem ea cleperet, aut dolo malo aliquid commutando, vel diripiendo detrimenti lavantibus inferret, ita edicto cavit Paullus *, *Adversus* CAPSARIOS *quoque, qui mercede servanda in balneis vestimenta suscipiunt, judex est constitutus, ut si quid in servandis vestimentis fraudulenter admiserint, ipse cognoscat*. Ad hoc servile munus respexit B. Epiphanius *, ubi de Adamitis loquitur, ἱματιοφύλακες eos vocans. De his videatur doctissimus Cujacius *, qui de varia hujus nominis significatione multa disputat.

* *Cels. libr. 3. c. 27.*
* *Cic. ad Q. Fratr. l. 3. ep. 1.*
* *Plin. libr. 2. epist. 17.*
* *Cic. epist. ad Q. Fr. ibid.*
* *Vitr. l. 5. cap. 10.*
* *L. 3. § ult. ff. de offic. Præf. vig.*
* *S. Epiph. libr. 2. hæres. 52.*
* *Cujac. Observ. 5. 8.*

In eo, quod pone sequitur cubile, nil præter ostium clausum, & ædiculæ parastatis interdistinctæ, eleganti sane architecturæ commensu, adspicitur. Cui autem usui hoc inserviret, divinare prorsus non ausim; tantæ erant actiones, quibus Antiqui in thermis incumbebant. Extimum denique cubiculum, cujus exigua tantum pars sub aspectu venit, ollis oppletum est, instar pharma-

copolii. Has oleum fervaffe crederem, nam ut diximus, qui thermas lavandi caufa adibant, poftquam corpus abluerant, prius deterfo madore, oleo ungebantur, cujufmodi deterfionis utilitatem commendat Galenus * de fanitate tuenda. Qui autem largius fudare voluiffent, ab hac unctione fefe abftinebant; hoc vero rarius ufuveniebat. Sanis autem, quibus aut longo itinere, aut nimia corporis exercitatione, aut alio quovis pacto, vires defeciffent, quod frequentius accidebat, non folum a balneo, fed & ante balneum Celfus * itidem ungi præcipit. Nec tantum corpora, fed etiam ftrigiles oleo linebant. Erat autem ftrigil inftrumentum balneatorium, cujus forma depicta exftat in fummitate hujus Tabulæ inter utrumque fornicem. Hoc ex Apulejo * patet, qui fic ait: STRIGILEM, *& ampullam, ceteraque balnei utenfilia &c.* Et Perfius *.

I puer, & STRIGILES *Crifpini ad balnea defer.*

Idem Apulejus * ftrigilem, ut in manu moraretur, capulum, feu anfam habuiffe, ut in hac pictura apparet, adfirmat. Quod autem ungeretur, teftis eft Juvenalis Sat. 3. v. 261.

Jam lavat, & bucca foculum excitat, & fonat UNCTIS
STRIGILIBUS.

* Gal. de fan. tuend. 4.
* Celf. lib. 2. cap. 17.
* Apul. Florid. p. 778. ad uf. Delph.
* Perf. fat. 5. v. 126.
* Apul. ibid.

T A B U L A VIIII.

QUem in curru ftantem cernis, antiquus auriga eft, qui quatuor equos moderatur. Flagellum dextera tenet, finiftra palmam, quamobrem eum a Circo poft exactos ludos domum revertere autumo, reportata victoria, ac duobus fociis comitantibus, quorum alter, qui dexteram attollit, plaufus edere videtur. Palma enim, ut ex Plutarcho ait Gellius, * *in certaminibus fignum effe placuit* VICTORIÆ. Hanc victores in manibus geftaffe, ut hic nofter auriga, difcimus ex Paufania *, qui tamen eos in dextera tuliffe illam adfirmat. Nofter vero finiftra illam tenet, quod dexteram habeat flagello occupatam. Hinc etiam in nummis, & in anaglyphis Victoria repræfentatur cum palmæ ramo, quæ idcirco ab Apulejo * *Palmaris Dea* appellatur. In antiquo marmore, in quo memoria habetur M. Aurelii Polinicis, legitur eum tuliffe PALMAS DCCXXXVII. ideft toties victorem fuiffe. Nofter auriga equorum habenas non manibus tenet, quum impeditæ forent, fed eæ poft tergum adligatæ apparent; quod * confonat canenti:

nexufque diu poft terga volutos
Exuit, abripitur longe moderamine liber
Currus.

Ad quos verfus bene notat Luctatius: *Habenarum nexu, quo involutus per terga fuerat, liberavit.* Habitus aurigarum peculiaris erat, ut ex Svetonio in Caligula * & ex Lampridio in Commodo * difcimus, quorum pofterior fcripfit: *Aurigæ habitu currus rexit.* Qualis autem fuerit ex hac pictura luculenter apparet. Tunica enim indutus eft manuleata, ϛολὴν eam Dio appellavit, * loris circumquaque cinctus. Athenæus * de Apamæis ait, πέτασον in capite geftaffe, quod pilei genus erat cum margine, ut is, quem in capite hujus aurigæ infpicimus, quamobrem eo peregrinantes utebantur; unde Plautus * de quodam, qui fictam peregrini perfonam induere opus habebat, dicit:

Etiam opus eft clamyde, & machæra, & PETASO.

Eaque de caufa Mercurio adpingitur, quod quum nuncius effet Deorum, iter a cœlo ad terram continenter agebat. Vittis fub mento religatur, ne dum concitato curfu fertur, de capite deturbetur, & in arenam cadat. Galerum appellat Claudianus * pileum illum, quem geftabat Mercurius:

Sonniferam quatiens virgam, tectufque GALERO.

Tunica manuleata veftitur, ut diximus, cui fuperaddita eft lorica, non ferro, aut hamis confecta, fed loris; eft enim lorica, ut ait Servius *, *proprie tegimen de corio tanquam de loro factum.* Quadrijuges equi currum ducunt, ita dicti, quod juxta fe continua ferie conjuncti jugentur, nempe in eadem linea incedentes, non ante fe bini, & bini; hinc quadrigæ nomen currui factum eft, ut docet Gellius *, quo-

* Gell. l. 3. c. 6.
* Paufan. Arcad. p. 697. l. 8. cap. 48.
* Apul. Met. l. 2. p. 39.
* Statius Theb. l. 6. v. 505.
* Suet. c. 19. n. 5.
* Lampr. c. 2.
* L. 63. p. 718.
* Aten. l. 4. cap. 23.
* Plaut. in Pfeud. 2. 4. 45.
* Claud. de Rapt. Prof. 1. v. 78.
* Serv. ad Æn. libr. xi. v. 679.
* Gell. cap. 8. libr. 19.

quoniam quatuor ſimul equi junčti. Quod ad equorum ornatum ſpectat, hi præter habenas, quibus ab auriga reguntur, victam habent fortaſſe laneam circa collum, e qua lunula dependet, cujus antiquiſſimi moris mentio fit in libro Judicum cap. 8. v. 21. quæ inter ornamenta mulierum etiam cenſebatur, ut patet ex Iſaia *, Tertulliano *, & Hieronymo *, necnon ex Papia in Gloſſa: *Lunulæ*, ait, *ſunt ornamenta mulierum, in ſimilitudinem* LUNÆ DEPENDENTES. In fronte phaleras geſtant, quibus inhæret ramuſculus, ut videtur, ex olea, qua coronabantur in Olympiis victores. Quid ſint phaleræ inter ſe certant eruditi; at nos ſequemur Svidam, qui affirmat, phaleras eſſe frontis equorum ornamenta, veluti ſcutula, quod eſſent rotundæ; at hic oblongæ ſunt ad modum folii arborei. Non citato curſu, ſed lento gradu incedunt equi, quare hic auriga non in certamine, ſed poſt certamen repræſentatur, dum victoriæ præmia refert. Nam, ut ait Vitruvius *, victoribus *Græcorum majores ita magnos honores conſtituerunt, uti non modo in conventu ſtantes cum palma, & corona ferant laudes; ſed etiam quum revertuntur in ſuas civitates cum victoria, triumphantes quadrigis in mœnia, & in patrias invehantur*. Hinc inde aurigæ duo adſtant, qui videntur extimis equis inſidere. Qui dextrorſum eſt, more aurigarum indutus, manum tollit ad plauſus ciendos: qui ſiniſtrorſum clamyde coopertus, telum gerit; de quo judicent eruditiores.

*Iſ. c. 3. v. 18.
* *Hieron. in Iſ. l. 2. cap. 3.*
* *Tertull. de cult. fem. c. 10.*
* *Vitr. in præf. libr. 9.*

De altera pictura, quæ inferius in hac Tabula inſpicitur, nihil dicam, quum ei omnia conveniant, quæ de ſuperiore dicta ſunt. Solum addam hic aurigam, qui pariter palmam tenet, equos incitare ad curſum, qui videntur e carceribus proſilire, vel potius ad ultimam metam perlatos, a curſu retineri a pedite quodam habitu ferme militari veſtito, qui & manu mulcet ora extimi equi, & dextera vas tenet alteri ſimile, quod humi proſtat, quæ premia innuunt victoriæ, ſicuti palma, quam dixi manu geſtare aurigam. Silius enim Italicus * ait:

* *Libr. 16. v. 446.*

Par donum ſolido argento cælata bipenni
Omnibus; at vario diſtantia cætera honore.
Primus equum volucrem Maſſyli munera regis,
Haud ſpernenda tulit; tulit huic virtute ſecundus
E Tyria, quæ multa jacet, DUO POCULA *præda.*

Socius ejus ubi, vel quomodo locatus ſit, vel quid agat non bene apparet. Numquid alius eſt auriga in alio curru ſtans, in eodem agone decertans? At numerus rotarum repugnat, quum duas tantum pictor expreſſerit. Habenas non manibus tenet auriga, ſed poſt tergum conſertas habet, qui mos erat aurigis in certamine, ut liberius equos regerent, & incitarent, ut dictum eſt ſuperius.

Currus nonnullis lineis hinc, & hinc ſerratis ornatur. Extimus equus, quique ad dextram eſt, circa collum linea cingitur globulis ornata, quos crepitacula eſſe autumo, quæ brutorum collo appendebantur, ut patet præter cæteros ex Favorino *, qui ea tintinnabula vocat: *Tintinnabula in phaleris, & frœnis equorum milites apud veteres habuere, ſicut nunc quoque*. EQUOS *cum phaleris* TINTINNABULA *habentibus memorat Ariſtophanes.*

TABULA X.

Quam hic picturæ graphidem cernis, omnino ſimilem reperies non exiguæ celeberrimi muſivi operis parti, quod in Præneſtinæ Fortunæ delubro, teſte Plinio *, fecit Sylla dictator, de quo plurima erudite ſcripſit Joſeph Maria Suareſius, necnon multa acute divinando, ut ſolebat, Athanaſius Kircherius, vir herculei laboris patiens, quamvis ſæpe nimium ingenio indulgens. Hoc autem lithoſtrotum nitidiſſimum, & luculenter perpolitum adhuc exſtat, translatum ſummo artificio, ut nullum ex hac translatione detrimentum ceperit, in ædes Principis Præneſtini, ſuper ſumma hujuſce Fortunæ delubri parte collocatas, ejuſque accuratam graphidem diligentiſſime æri incidi mandavit Franciſcus Cardinalis Barberinus junior formis ſatis magnis. In eo ita-

* *Plin. hiſtor. libr. 36. cap. 25.*

itaque similis navis inspicitur venatoribus referta, qui telis, ut in hac nostra pictura, apros eminus petunt. Hujusmodi musivi operis icon conspici potest etiam apud disertissimum virum Johannem Ciampinium *. Quem hic pictum cernimus, aper sagitta confossus fugam arripit, ob vulneris dolorem grunniens, ut ex hianti rictu conjicitur. Solent enim apri metu urgentium venatorum, & canum oblatrantium, ac persequentium, flumina sæpissime tranare, si quæ forte transverse fugam eorum impediant. In extremo littore canis est, qui cursu defatigatus, & calore anhelans avide exerta lingua aquam sitire videtur. Forma corporis hujus non absimilis est cani venatico, quem delineavit Nemesianus * his versibus:

* Tom. 1. Vet. Monim. Tab. xxx.

* Nemes. in Cyneget. v. 107.

Elige tunc cursu facilem, facilemque recursu
Seu Lacedæmonio natam, seu rure Molosso
Non humili de gente canem. Sit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato
Costarum sub fine decenter prona carinam,
Quæ sensim rursus sicca se colligat alvo
Renibus ampla satis validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.

In qua postrema conditione sane discrepat hic canis, nam præcisas aures præfert, ut etiam hodierno tempore aliquoties in more est eas illis abscindere.

In navi autem forma ejus spectanda remanet, quæ tamen passim occurrit in antiquis monumentis, quæ nobis adhuc supersunt. In puppe, quæ curva est, ut innuit Ovidius * dicens:

. . . . . . *stantemque in puppe recurva &c.*

affigebatur aplustre, quod σανίδιον vocat vetus Apollonii Scholiastes. In aplustri autem baculus erectus erat, cui suspensæ, vel adligatæ erant fasciæ, seu tæniæ versicolores, quæ per aërem ludebant ventis agitatæ, teste Polluce *; qui baculus, & quæ tæniæ in nostra pictura aperte conspiciuntur. Usus hujusmodi tæniarum erat, ut flarent, ventos nautæ dignoscerent, quod ex Cicerone * didicimus. Hunc baculum στελίδα, fascias vero ἀκρωτήρια dixere Græci scriptores.

* Ovid. Met. xi. v. 464.

* Poll. libr. 1. cap. 9.

* Cic. ad Attic. libr. 5. ep. 12.

In media navi tabernaculum collocatum est, quod σκηνή vocatur ab eodem Polluce *, Imperatori, aut etiam ipsi nauclero extructa habitatio. Diæta etiam appellabatur, quarum triginta fuisse in Hieronis navi testatur Athenæus *, quatuor lectis stratæ, & quindecim, quæ ad nautarum commodum essent destinatæ. Hinc diætarii officium in leges Ulpianus * induxit; de quo multa apud Jurisconsultos eruditissimos. In proræ cacumine, quod acrostolium nuncupatur, caput exstat lupinum, ex quo nonnulli nomen proræ diducunt apud Græcos, qui eam etiam μέτωπον appellant, ut patet ex Scholiaste Thucydidis, quasi faciem, seu frontem dicas. Hæc tandem ex genere illo navium apparet, quæ a Græcis ποτάμια πλοῖα, idest *naves fluviatiles* nuncupantur, ceu lintres, cymbæ, & aliæ id genus.

* Poll. libr. 1. cap. 9.

* Athen. l. 5. p. 207.

* Libr. 33. ff. tit. 7. l. 12. §. 42.

TABULA XI.

Elegantissima hæc pictura in Museo Kircheriano adservatur, quam mihi perhumaniter, ut ejus mos est, communicavit Ad. R. P. Contuccius Societ. Jesu non solum eloquentia præcellens, sed rerum antiquarum scientia celebris, qua Kircherianam Gazam in immensum adauxit, atque adauget quotidie, ut plane omnigenæ elegantiæ thesaurus jam appellari jure, & merito possit. Ea est in tegula figulina depicta, cujus, ut arbitror, non minima pars confracta periit. Bacchanal hic referri autumo, nam pampineæ, vel hederaceæ corollæ, quibus tres personæ ornantur, atque nebris, qua vir ille, qui alium pedo ferire minitatur, præcinctus est, id manifeste indicare videntur, si Bacchanalia *sacra rituum Liberi Patris* sunt, ut apud Isidorum legit Barthius * in Adversariis. Nullus nescit, in Bacchanalibus viros, mulieresque summa licentia, & animis lympha-

* Barth. Advers. libr. 14. cap. 8.

phatis, obvios quosque ferire, dum tanquam furentes, insanientesque discurrerent. Unde Prudentius * cecinit:

*Prud. in Symm. libr. 1. de Libero.

. . . . . . stimulis furialibus actas
Mænadas inflammante mero in scelus omne rotatas.

Vir ille, qui humi procumbit, nigrum habet vultum ad ostendendum Bacchum ad Indos penetrasse, atque de iis duxisse triumphum; Indos enim nigros fuisse creditum est antiquis. Quamobrem Avienus in Orbis terræ descriptione v. 1310. sic habet:

Sed genti Indorum TETER COLOR: *efflua semper*
His coma liventes imitatur crine hyacinthos.

Quod itidem indigitare videtur Ovidius *, qui etiam de Indico triumpho verba facit, dum ait de Baccho loquens:

*Ovid. Met. libr. 4. v. 20.

. . . . Oriens tibi victus, ad usque
Decolor externo quæ cingitur India Gange.

Quod etiam alibi innuit dicens *:

*Idem Fast. libr. 3. v. 465.

Interea Liber depexos crinibus Indos
Vincit, & Eoo dives ab orbe venit.

Quod autem Bacchantes nebride cingerentur, colligitur ex Placido Luctatio in secundum librum Thebaid. Statii v. 172. dum ait: *Nebridas pelles damarum, quæ Græce νεβρίδες appellantur; ac per hoc Baccharum indumenta significat, quibus sacrificiorum tempore uti consueverunt.* Unde etiam Avienus in Orbis descriptione:

Orgia ludentes, & NEBRIDE *pectora* CINCTI.

Et Sidonius Apollinaris: *

* Sidon. Carm. 5. v. 497.

. . . . . rotat enthea thyrsum
Bassaris, & maculis Erythrææ nebridos horrens.

Hinc forte Bacchum appellatum invenimus νεβριδόπεπλον in Græco * epigrammate; & nebrida ferre, temulentum esse eleganter significat. An vero nebrides pelles sint damarum, & non potius hinnulorum, aut cervorum, vide Vossium in Etymologico ad hanc vocem. Aliquando etiam pellem tigrium, pardorum, ac lyncum adsumebant, cujus rei mentio est apud Nonnum Panoplitanum*, ut innuisse videtur poëta illis carminibus:

* Antholog. l. 1. cap. 38 epig. xi.

*Nonn. libr. 14. v. 357. Dionysiac.

Exoritur, lætusque simul procedit Jacchus
Crinali florens hedera, quem Parthica velat
Tigris.

Thyrso instructæ procedere solent Bacchantes, at hic pastorale pedum gestant. Verum baculum in extremitate retortum non tantum gregum magistris, sed & vinitoribus, & centauris, & histrionibus, & poëtis comicis, & ipsis Tritonibus, at præcipue Faunis, & Satyris, quorum personas imitabantur aliquando Bacchantes, tributum fuisse monstravi in Animadversionibus ad Romæ Subterraneæ picturas *.

* Tom. 1. pag. 49. 50. & 51.

TABULA XII.

DE Musivo hoc opere, cujus iconem publici juris fecit Ciampinius, * multa idem congessit, quæ hic referre minime absonum reputo. Hæc igitur scribit: *Europam Agenoris Regis Phœniciæ filiam a Jove in bovis formam transformato, raptam vides. Quod ex Ovidio, * aliisque notissimum est. Musivum hoc adeo minutis marmoreis lapillis constat, ut artis miraculum dici possit. Hodie inter spectabiliora Eminentissimi Cardinalis Caroli Barberini asservatur &c. Habet in altitudine palmos tres, uncias novem, tantundem fere in latitudine.* Repertum autem fuit prope mœnia, & portam Prænestæ in loco vulgo dicto *l'Arcione*. Sed quum rudi sane stylo, ac admodum ineleganter illud Ciampinio delineasset pictor, vel ære incidisset cælator, iterum edendum operæ pretium putavi. Non multa in hoc Musivo animadvertenda occurrunt. In parte superiore Europa cernitur, ludens, ut, teste Ovidio: *

* Ciamp. Vet. Mon. T. 1. cap. 10. Tab. xxxiij.

* Ovid. Metam. l. 2. v. 843.

*Ovid. Met. l. 2. v. 845.

Ludere virginibus Tyriis comitata solebat.

Pone Montem, ex quo fons, seu flumen emanat, ipsiusmet aquæ Numen adesse crederem, hastæ puræ innixum.

In parte inferiore conspiciendus est Jupiter: *

Ille pater, rectorque Deum, cui dextra trisulcis
Ignibus armata est, qui nutu concutit orbem,

* Ovid. ibid. v. 848.

indutus tauri faciem, qui postquam Europam ficta mansuetudine pellexisset, ut demto metu virginali ejus tergora conscenderet, arrepto cursu *:

* Idem ibid.

..... a terra, siccoque a littore, sensim
Falsa pedum primis vestigia ponit in undis
Inde abit ulterius, mediique per æquora ponti
Fert prædam. Pavet hæc: littusque ablata relictum
Respicit, & dextra cornu tenet; altera dorso
Imposita est; tremulæ sinuantur flamine vestes.

In ea pavor apparet, quod tali vectore æquor tranare reformidet, nam ut eleganter cecinit idem Ovidius: *

* Ovid. Fast. libr. 5. v. 611.

Sæpe puellares subduxit ab æquore plantas,
Et metuit tactus adsilientis aquæ.

In littore pone scopulum stat vir, dolore perculsus, quod innuit dextera ad caput adducta, ut multis Jonæ prophetæ picturis, & sculpturis demonstrari potest relatis in Tabulis Romæ subterraneæ. Hunc crederem Agenorem esse Europæ patrem, ut eum appellat Hyginus *, quem tamen Homeri Scholiastes * ex sententia Hesiodi, & Bacchylidis Phœnicem nominat, qui tanto mœrore affectus est ob filiam amissam, ut suos filios ad eam quærendam miserit hac lege, ut ni sororem reducerent, ipsi in conspectum suum non redirent. Sed in re tam nota, de qua omnes Mythologi, sexcentique poëtæ scripserunt, pluribus verbis immorari superfluum duco.

* Hygin. cap. 178
* Schol. Hom. Iliad. μ. v. 397.

TABULA XIII.

ITidem in Constantinianis thermis anno 1710. reperta fuit hæc pictura, in qua fluvius, cantharo innixus, humi stratus, ad alti montis radices apparet, ad demonstrandum ex altissimis rupibus magna flumina ortum suum trahere. Mulier autem, cui ad injuriam faciendam adgreditur quidam Satyrus, quæ sit, veluti etiam flumen, de quo loquutus sum, si dicere velim, divinatione potius uti, quam conjecturis opus esset. Quapropter peritioribus, vel felicioribus viris eruditis hoc divinandum relinquo.

TABULA XIV.

MUsivum opus in hac Tabula delineatum, in fronte ostii, per quod in aulam primam, præcipuamque, ædium Principum Albanorum patet ingressus, positum est, quæ quondam ad Cardinalem Nerlium pertinebant. Hoc autem Musivum huc e Basilica Siciniana advectum est, ut testatur Ciampinius cap. 7. pag. 60. Veter. Monim. In eo notissima Hylæ fabula exprimitur, de quo luculenter cecinit Valerius * Flaccus, & brevius, sed magis eleganter Propertius * In medio est ipse Hylas clamyde collo obligata, ac fibula obstricta ac retrorsum incomposite recidente, ut plane vis, quam illi inferunt Nymphæ, ostendatur. Dextera vas quoddam ansatum tenet, qua aquatum venerat. *Sed cui non dictus* Hylas? ut cum poëta * loquar; quamobrem pluribus verbis minime opus est. Tres Najades seu Dryades illum circumdant, ejus formam depereuntes, ut ait idem Propertius * his carminibus:

* Val. Flaccus Argon. libr. 4. v. 485.
* Prop. libr. 1. eleg. 20.
* Virg. Georg. libr. 3. v. 6.
* Prop. ibid.

Cujus, ut accensæ DRYADES *candore puellæ,*
Miratæ solitos destituere choros;
Prolapsum leviter facili TRAXERE *liquore;*
Tum sonitum rapto corpore fecit Hylas.

Hinc

Hinc una earum ipſum comis arreptum ad ſe trahere videtur. Altera earum cantharo innixa eſt, ex quo aqua jugiter emanat. Ad rem omnino facit Romana inſcriptio fonti reſtituto appoſita:

Perdiderat laticum longæva incuria curſus;
Quos tibi nunc pleno CANTHARUS *ore vomit.*

Inde ſiniſtrorſum alius ſimilis cantharus ad radices montis, cujus nomen habetur apud eumdem poëtam: *

Hic erat Arganti Pegæ ſub vertice montis, * Prop. ibid.
Grata domus nymphis humida Thyniaſin.

Unum fuiſſe ex Argonautis Hylam & ex Theocrito *, & ex eodem Valerio colligimus. Ipſe autem Theocritus valde ad rem noſtram totam hanc fabulam narrat dicens, Argonautas, quum in Helleſpontum veniſſent, portum cepiſſe in Propontide. Et quum egreſſi eſſent in littus Hercules, qui Hylam deperibat, & Telamon cœnam appararunt, cujus gratia Hylas aquam hauſturus fluvium, ſeu fontem proximum petiit: * Theocrit. Idyll. 13. Val. Flacc. ibid.

Κ' ὤχεθ' Ὕλας ὁ ξανθὸς ὕδωρ ἐπιδόρπιον οἰσῶν &c.
Κάλκεον ἄγγος ἔχων. τάχα δὲ κράναν ἐνόησεν
Ἡμένῳ ἐν χώρῳ.

Ut hic ex amuſſim apparet, nempe & vas æreum, & fons humili in loco. Apollonius, & Valerius Flaccus ab una raptum Nympha Hylam fabulati ſunt; cujus nomen etiam idem Flaccus * recenſuit, Dryopenque appellavit. Verum hoc minime reſpondet noſtro huic muſivo. Bene vero reſpondent, quæ in laudato Theocriti Idyllio ſubſequuntur, carmina: * Val. Flacc. libr. 4. Argon. v. 329.

Ὕδατι δ' ἐν μέσσῳ νύμφαι χορὸν ἀρτίζοντο
Νύμφαι ἀκοίμητοι, δειναὶ θεαὶ ἀγροιώταις
Εὐνίκα κ' Μαλὶς, ἔαρ θ' ὁρόωσα Νυχεία
Ἤτοι ὁ κοῦρος ἐπεῖχε ποτῷ πολυχανδέα κρωσσὸν
Βάψαι ἐπειγόμενος. ταὶ δ' ἐν χερὶ πᾶσαι ἔφυσαν
Πασάων γὰρ ἔρως ἀπαλὰς φρένας ἀμφεκάλυψεν
In media vero unda Nymphæ chorum inſtituebant,
Nymphæ pervigiles, metuendæ Deæ ruſticis
Eunica, & Malis, & ver aſpiciens Nycheja
Jamque puer admovebat fonti urnam multæ capacem aquæ
Eam immergere feſtinans. Illæ vero omnes manui ejus inhæſerunt,
Omnium enim amor teneras mentes occupaverat.

Hic enim videre eſt, quod Theocritus nobis ob oculos poſuit; namque in media unda, vel ſcopulis innixæ ſtant nymphæ, quæ tres ſunt, ſcilicet Eunica, Malis, & Nycheja, & puer aquæ admovet urnam, & duæ earum illi manus iniciunt, eumque præcipitem in aquam pertrahere conantur. Valerius Flaccus illum demerſum eſſe narrat, dum cervum inſequeretur, non vero a nymphis ejus amore captis in undas tractum. Quamobrem quum videamus pictorem Græcos potius, quam Latinos auctores ſequutum eſſe, credendum quoque eſt, illum non Latinum, ſed natione Grajum fuiſſe, uti omnes ea tempeſtate fuerunt artifices. Najades vero armillis ornatas conſpicimus, & arundineis frondibus caput redimitas, ut fluviorum numinibus mos erat, de qua re vide noſtras ad Romæ Subterraneæ ſculpturas Animadverſiones Tom. 1. pag. 110. Sub hujus fabulæ delineatione velum obpanſum dependet, in cujus limbo tam in exteriore, quam interiore parte variæ adſunt Ægyptiorum figuræ facibus, candelabris, lychnuchis accenſis, aliiſque ad ſacra pertinentibus inſtructæ inſtrumentis, quæ figuræ lychnapſiam concelebrare autumo. Erat autem lychnapſia, quæ a Græcis etiam λυχνοκαΐα appellatur, ideſt *accenſio lucernarum*, quod feſtum apud Ægyptios, cujus mentio habetur in veteri Kalendario Bucheriano, pridie idus Auguſti celebrari ſolitum erat. Ægyptios enim lucernarum inventores prædicant Clemens * Alexandrinus, & Euſebius *. Quomodo autem hæc ſolemnitas perageretur, ex Herodoto * diſcere poſſumus. Namque ille diſertiſſimis verbis narrat, Ægyptios nocturno tempore ſub dio univerſim commorantes, circum domos lucernas accende-

* Clem. Alex. Strom. libr. 1. p. 306.
* Euſeb. de præp. Evang. libr. 10. 6.
* Herodot. libr. 2. p. 62.

dere, imbutas sale, & olei plenas cum multo lychno, ut tota nocte arderent. Qui autem conventum hunc celebrare non poterant, domi commorantes, & ipsi tamen lucernas accendebant. Hujus festi originem minime innuit Herodotus; verum Licetus * hanc refert ad memoriam noctis illius, in qua Deo vindice Ægyptiorum primogeniti perempti fuere; quasi vigilent noctu ad mortuos suos lugendum. Hinc fortasse consuetudo promanavit, ut in funeribus faces accenderentur, cujus rei innumera sunt veterum testimonia, sed præcipue Plinii, * & Isidori *: *Dictum Funus* (hic ait) *a funibus accensis, quos ante feretrum papyris cera circumdatis ferebant*; quique nostris funalibus, vulgo *torce* omnino respondent. Quamvis * Servius hanc consuetudinem ex alio capite derivare arbitretur dicens: *Per noctem autem urebantur* (corpora) *unde & permansit, ut mortuos faces antecedant*. Verum de lucernarum in sacris accensione apud Ægyptios videndi præcipue sunt Johannes Baptista Casalius in libro De profanis Ægyptiorum ritibus cap. 25, Athanasius Kircherius in Oedipo Ægyptio Tomo 3. syntagm. xx. Hermannus Witsius in Ægyptiacis libr. 1. cap. 9. §. 5. & libr. 2. cap. 16. §. 17. & 18, qui varias hujus consuetudinis origines adducunt. Si unamquamque harum figurarum rationem, & modum enarrare velim, longiorem sermonem, quam hìc opus sit, instituere oporteret; quamobrem nonnulla tantum leviter attingam. Virum illum, qui suprema limbi parte medius sedet, reticulata veste indutus, ac loti florem in summo vertice præfert, Ægyptium numen esse arbitror, quod ad illud cum donariis accedant aliquot viri hinc, & inde dispositi. Numina, quæ in obeliscis occurrunt, in sede eodem situ, & habitu cernuntur, ut videre est apud eumdem Kircherium Syntagm. 5. cap. 4. schemat. 1. 2. 3. & 4. Nonnulli viri candelas manibus sustinent, alii stantes, alii sedentes, alii altero genu flexo, ut etiam in obeliscis Romam ex Ægypto advectis. Qui sedent, Deos esse crederem. Inter hos, virosque supra memoratos multa disposita sunt candelabra non ejusdem formæ. Eorum usus antiquissimus est. Vide sis Plinium, * & Varronem apud Macrobium: * *Locum, in quo figerent candelam, candelabrum appellatur*, quæ ad rem divinam cerea ardebat. His candelabris in summitate catinus, vel scyphus adnexus est in modum lancis, seu ἐμφαβίȣ, ad excipiendas candelarum emunctiones, & ceram liquatam decidentem. Nonnullis horum candelabrorum sub lance suprema altera etiam adest in medio. Ubi desunt candelæ, superposita inspiciuntur vascula quædam veluti acetabula præstigiatorum, quæ lucernas esse puto candelabris impositas, quæ candelabra, quum aliquando lignea forent, factum esse arbitror, ut Athenæus * lucernæ ξυλολυχνȣ́κȣ meminerit, seu lychni ligneoli, cujus etiam mentionem fecit Cicero De legibus. Quemadmodum etiam nunc lucernas ligneas appellamus, quæ fulcrum ex ligno habent. Nec aliter hæc intelligi possunt, quî enim fieri poterat, ut lucernæ ipsæ ex ligno conficerentur, & quomodo materia oleo peruncta ignem, flammamque tulisset innoxie, quin protinus combureretur? Scio aliter hanc iconem enarrasse eruditum Ciampinium *, & has figuras ad Argonautarum cœnam in littore instructam revocasse, sed quam apposite id fecerit, apud Lectorem, cui cor in pectore saliat, judicium esto. Hoc autem manifestum est, nostram hujus musivi delineationem elegantiorem, enarrationem vero verisimiliorem admodum esse.

* Licetus de lucern. antiq. libr. 2. cap 53.

* Plin. Histor. libr. 16. cap. 27.

* Isid. libr. xi. etymol. cap. 2, & libr. 20. cap. 10.

* Serv. ad Æn. libr. 6. v. 224.

* Histor. libr. 34. cap. 3.

* Macrob. Saturnal. libr. 3. cap. 4.

* Athen. libr. 15. cap. 20. p. 700.

* Ciamp. Vet. Monim. Tom. 1. cap. 7. p. 62.

TABULA XV.

IN iisdem Constantini thermis hæc itidem pictura inventa fuit, in qua nonnulla templa, aliaque ad Numinum cultum, secundum antiquam Romanorum superstitionem pertinentia apparent. Templa eleganti forma, atque concinna, & ad Græcæ architecturæ canones delineata, & præcipue, quod e conspectu adspicitur, magisque remotum; refert enim quamdam speciem porticus, quem in fronte Pantheos extruxit M. Agrippa, quamvis ordine Etrusco hoc constructum templum appareat, porticus autem ille etiam nunc Corinthio ordine conspiciatur.

Alterum templum rotundum est, an autem ad Solem spectet, quod rotunditas gyrum Solis designet, & duodecim instructum sit fenestris, quæ duodecim men-

menses, per quos Sol conversionem suam absolvit, indicare possunt. Vide, quæ in enarratione Tabulæ X. superius dicta sunt. Porticus ornatur, sed simpliciore structura, elegantia tamen non destituta.

Tertium tandem templum, vel potius sacellum quadrata forma ædificatum, nam ut ait Trebatius apud Gellium *, *sacellum est locus parvus Deo sacratus cum ara*, tecto carere videtur, quod non alienum est a verbis Festi ajentis: *Sacella dicuntur loca Diis sacrata* SINE TECTO. Sacellum Jani quoque *quadrata dimensione* fuisse testatur Procopius *. In parte postica pyramidem cernis, cui appensus est clypeus, & alia fortasse arma. In templis arma suspendisse veteres docet Horatius: *

** Gell. libr. 6. c. 12.*

** Procop. Bell. Goth. l. 1 cap. 25.*

** Horat. epist. 1. libr. 1.*

. . . . *Vejanius, armis*
HERCULIS AD POSTEM FIXIS, *latet abditus agro.*

Pone hoc sacellum columna erecta est Dorica, ut mihi videtur ex scapo, quamvis basim habeat, qua Pitiscus in v. *Columna Dorica* carere Doricam columnam adfirmat, & Philandrum audaciæ insimulat, quod in Vitruvii Commentario, ubi Vitruvius columnæ Doricæ rationem persequitur, & minime baseos meminit, hunc quasi defectum de suo supplere conatus fuerit. Sed an falsus sit Pitiscus dubito, & an exemplum, quod ex theatro Marcelli adducit, aliquid ad rem suam faciat; etenim theatrum illud, quum sit terra, & ruinis obrutum, columnarum bases vel sepultas, vel confractas, & detritas habere potest. Super scapum, seu caput nostræ columnæ exstat vas cinerarium; ut manifeste appareat hanc sepulcralem esse columnam; columnas enim sepulchris imponi nemo est, qui ignoret. Audi Ciceronem *: *Pittacus super terræ tumulum noluit quid statui, nisi columellam:* Laërtius * idem testatur de Diogenis Cynici tumulo, super quem columna erecta fuit. Nec tantum cippos, seu columellas sepulcris impositas legimus, sed etiam ingentes columnas: unde Servius: * *Super cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnæ*. Quare Plutarchus * narrat, Isocratis monumento columnam impositam fuisse cubitorum triginta. De olla, seu vase cinerario columnæ superposito fortasse exemplum profert Eutropius * his verbis, postquam de Trajani morte loquutus est: *Ossa ejus collocata in urna aurea in foro, quod ædificavit sibi, columna ibi posita, cujus altitudo* CXL. *pedes habet*, ut nonnulli legunt. Arboribus circumdatur urna, ut mos erat Antiquis, qui sepulcra obumbrabant. Hinc Propertius:

** Cic de leg. l. 2. 26.*

** Laërt. l. 6. 78.*

** Serv. ad Æn. l. xi. v. 849.*

** Plut. in Vit. x. Rhetor. p. 838.*

** Europ. libr. 8. cap. 5. Xiphil. l. 69. p. 797.*

** Prop. l. 2. eleg. 13.*

Deinde ubi suppositus cinerem me fecerit ardor,
Accipiat manes parvula TESTA *meos.*
Et sit in exiguo laurus superaddita busto,
Quæ tegat extincti funeris UMBRA *locum.*

Præterea herma conspicitur sine brachiis, & pedibus, qui Mercurium referre crederem, nam hermæ, ut plurimum, statuæ erant Mercurii, de quibus quum longiorem sermonem in principio primi voluminis Musei Capitolini instituerim, ad illud libenter lectorem amandabo. Unum addam ex Svida * hos hermas in vestibulis ædium, atque in templis fuisse aliquando collocatos, ut ille, quem hic cernis. Velum obpansum in modum tabernaculi militaris, obductum arbitror, ut ii, qui ad templa conveniebant, vel apud ea vigilabant, responsa oraculi opperientes, ab æstu, & frigore, & pluvia tuti forent. De lacu vero, & piscatore, vide quæ luculentissime dicta sunt in enarratione Tabulæ X. & plurima etiam nos ipsi adnotavimus in Animadversionibus ad picturas, & sculpturas cœmeteriorum Romæ subterraneæ Tom. 1. pag. 189.

** Suidas in v. Ἑρμῶν.*

T A B U L A XVI.

HAnc picturam in monte Aventino repertam fuisse mihi perhumaniter indicavit R. P. Boscovicius S. J. in Collegio Romano Matheseos Professor doctissimus, & editis libris Orbi litterario satis notus, quem honoris, & amicitiæ causa hic nominatum volui, qui non tantum abditissimis penitioris analyti-

lyticæ myſteriis incumbit, ſed & antiquæ eruditionis inſtructiſſimum ſe præfert. Ea autem pictura in præſentia adſervatur penes Eminentiſſimum Cardinalem Paſſioneum, Apollinis, & Muſarum ocellum, cui alium in hiſtoria præſertim litteraria æque verſatum difficile invenias. Hic fortaſſe cernitur expreſſum aliquod Martis ſacrificium, cujus ſigillum ſuper ſtylobatem ſtantis poſitum eſt. Ex ejus ſiniſtra ſagulum obvolutum pendet, qua clypeum, vel potius ſcutum ſubſtollit, ſcutum inquam, nam hoc oblongum erat; clypeus vero rotundus, ut videre eſt apud Pitiſcum in Lexico v. *Clypeus*, & v. *Scutum*, ubi multa ad ſatietatem oggerit. Hoc duabus anſis præditum eſt, quod a Caribus inventum fuiſſe ait Herodotus *. Anſam (ὄχανον Græci appellavere) aliquando ex corio, aliquando ex ferro factam fuiſſe ſcimus. Mars cetera nudus galea caput tectum habet cum criſtis, ſeu cono, ubi illæ figebantur. Hinc Silius Italicus: *

* Herod. l. 1. p. 171.

* Sil. Italic. l. 2. v. 397.

> . . . . *paleamque coruſcis*
> *Subnixam*, CRISTIS *vibrant*, *cui vertice* CONI
> *Albentes niveæ tremulo nutamine pennæ.*

Quod autem in hoc ſigillo magis notatione dignum eſſe videtur, clava eſt, quam dextra gerit, ejus enim ſpecimen in antiquis tum Græcorum, tum Romanorum monumentis, nunquam me reperiſſe memini. Illa alteram extremitatem craſſiorem habet in modum globuli ferreis mucronibus undique inſtructi. Hæc autem clava antequam tormenta ignea commenti eſſent Germani, in uſu fuiſſe ſequioribus ſane ſeculis, atque *mazza ferrata* dictam compertum eſt.

Mulier vero, quæ dextrorſum adſtat, far in ignem ſuper aram accenſum demittit, qui ritus ſacer erat, & ſacrificii principium apud Romanos, quod, ut ait Dionyſius Halicarnaſſeus *, far eſſe omnium frugum præſtantiſſimum, & antiquiſſimum reputarent. Hinc Ovidius: *

* Dion. Halic. l. 2. p. 95.

* Ovid. Faſt. l. 1. v. 337.

> *Ante deos homini, quod conciliare valeret,*
> FAR *erat*, *& puri lucida mica ſalis.*

A ſiniſtris altera mulier pariter adſtat, quæ manum exporrigit dexteram ſuper vas quoddam anſatum, ex quo denſior fumus exſurgit; ſiniſtra vero lancem ſuſtinet ficubus, ut puto, onuſtam. Ficuum uſus in ſacrificiis nullibi, quod ego ſciverim, memoratur, verum hæc arbor magna religione apud Romanos colebatur, quod ad eam expoſiti ſecundum Livium, at ſecundum Varronem ejecti fuerint filii Martis, & Rheæ Romulus, & Remus. Feſtus etiam narrat, ficum ab Accio Navio ſatam, eamque, ſi quando areſcere contigiſſet, ſubſeri, ſumique ex ea ſarculos juſſiſſe; divinis enim reſponſis promiſſum, quamdiu ea viveret, libertatem populi Romani incolumem manſuram. Qua de re videndus eſt etiam Tacitus, * qui ſcribit: *Eodem anno Ruminalem arborem in Comitio, quæ ſuper octingentos, & quadraginta ante annos Remi, Romulique infantiam texerat, mortuis ramalibus, & areſcente trunco deminutam, prodigii loco habitum eſt.*

* Tacit. Ann. l. 13. 58.

TABULA XVII.

IN monte Quirinali inventa eſt hæc elegans pictura, extabat enim in parietinis circa thermas Conſtantini; verum ex ejus elegantia opus antiquius apparet, hujus namque artis rudes admodum vigebant artifices Imperatore Conſtantino. Cujus autem temporis hæc pictura ſit, difficile dictu eſt. Tantum ex Plinio * diſcimus Auguſti ævo parietes pingi cœptum fuiſſe; ait enim: *Auguſtus primus inſtituit amœniſsimam parietum picturam*. Hæc vero ſacrificium repræſentat, quod manifeſte innuit ſacerdos adſtans capite velato, dextera pateram, acerram, vel quid ſimile ſiniſtra tenens. Paterarum uſus in ſacrificiis notior eſt, quam quodvis notum. Hinc Virgilius * cecinit:

* Plin. hiſt. 35. cap. 10.

* Virgil. Æn. libr. 7. v. 133.

> *Nunc* PATERIS *libate Jovi, precibuſque vocate*
> *Anchiſen.*

Ipſis vinum ſuper ea, quæ Diis offerebant, mos erat infundere, ut apparet ex eodem poëta * ajente:

* Idem Æn. libr. 4. v. 60.

Ipsa tenens PATERAM DEXTRA *pulcherrima Dido*,
Candentis vaccæ media inter cornua FUNDIT,

ut in hac pictura factum videmus, ubi sacerdos super flores aræ impositos vinum fundere patera, quam tenet dextera manu, videtur. Hoc idem innuunt duæ illæ feminæ subcinctæ, & coronatæ, una quarum facem accensam, & lancem floribus refertam sustinet, altera globum sinistra præfert. Quum nullum hic idolum appareat, sacrum crederem defunctis factum, cujus mentio occurrit apud Ovidium in Fastis *:

Est honor & tumulis: animas placate paternas;
Parvaque in extinctas munera ferte pyras.

* Ovid. Fast. libr. 2. v. 533.

Parva munera appellat fruges, fructus, florescque, ut in hoc sacro. Hinc idem poëta * subdit:

* Ovid. ibid.

Parva petunt Manes: pietas pro divite grata est
Munere: non avidos Styx habet ima Deos.
Tegula projectis satis est velata coronis,
Et sparsæ fruges, parcaque mica salis:
Inque mero mollita Ceres, violæque solutæ
Hæc habeat media, testa relicta via &c.
Hunc morem Æneas pietatis idoneus auctor
Attulit in terras, juste Latine, tuas.
Ille patris Genio solennia dona ferebat,
Hinc populi ritus edidicere pios.

Hoc itidem innuere videtur Horatius * illis verbis, quæ etiam magis ad rem nostram faciunt:

* Horat. epist. 1. libr. 2. v. 144.

FLORIBUS, *& vino Genium memorem brevis ævi &c.*

In hac autem pictura apposite pone sacerdotem sepulcrum conspicitur, ex quo velum dependet, & super quod urna cineraria insidet, & muro circumseptum est; uti consuevisse veteres accepimus ab Jureconsultis *: *Monumentum sepulcri id esse D. Adrianus rescripsit, quod* MUNIMENTI, *idest causa muniendi ejus loci factum sit, in quo corpus impositum sit;* scilicet illud circumvallabant muro, seu maceria, ne cineres defunctorum interturbarentur, quod impium esse ducebant, & ne locus, quem sacrum reputabant, pollueretur. Velum autem, quod dependet a sepulcro, an positum sit fortasse, ut eo super sepulcrum expanso sacerdotis sacrificantis oculos a feralibus arceret, eruditioribus judicandum relinquo. Certum est, Pontifices cadavera nec adspicere, nec tangere ausos, immo nec funera. Hinc Seneca * scribit: *Tiberius Cæsar &c. pro rostris laudavit filium, stetitque in conspectu posito corpore,* INTERJECTO *tantummodo* VELAMENTO, *quod Pontificis oculos a funere arceret.* Quod etiam de Auguribus adfirmavit Tacitus * dicens: *Neque Imperatorem auguratu, & vetustissimis cæremoniis præditum attrectare* FERALIA *debuisse.*

* L. 37. ff. de Religi. s. & sumpt.

* Sen. ad Marc. c. 15.

* Tacit. Annal. 1. 62.

Duæ aliæ mulieres, præter sacerdotem, sacrificio ministrantes, caput coronis redimitæ adstant, & tunicis tantum amictæ, ut expeditiores in ministerio sint, atque ea tandem veste, atque eo ornatu, quem Tibullus * innuit:

* Tibull. libr. 1. eleg. 10. v. 27.

Hanc pura cum veste sequar: myrtoque canistra
Vincta geram, myrto vinctus & ipse caput.

Qui magna semper, & abstrusa sectantur, & in enarrandis quibuscunque antiquorum monumentis ad mysteria penitiora confugiunt, quique merito sese aliquando irridendos exhibent, doctrinam fortasse Chaldæorum in hac pictura introspicerent, de qua Johannes Gottliebius Bohnius *De igne Gentilium sacro* §. XIV. hæc habet: *Apud Chaldæos potissimum ignis cultus invaluit, & ad eorum ritum reliqui dogmata sua accommodarunt. Lustrationis magnam vim in igne ponebant, & expiationis. Hinc dæmones per ritus suos theurgicos ignis ope evocabant, ac eliciebant, id quod fiebat certis vocibus, & pulsibus, characteribusque, ex aëre, aut terra eos evocando &c. vel lapidem immolando, inclamando Mnizurim, ut Psellus refert, vel ope Hecatici strophali, seu sphera aureæ.* Poteram etiam hic in medium proferre solemnitates, quas in honorem seu Promethei, seu Vulcani celebrabant Antiqui, quas λαμπαδοφόριας appellabant, & memorant Herodotus *, Pausanias *, & Apollodo-

* Herod. l. 2. 62.
* Pausf. libr. 8. n. 90.

lodorus *, & inter recentiores præcipue Petrus Castellanus *De Festis Græcorum* titulo λαμπαδοφόριαι. Verum hæc missa faciamus, & ad faciliorem, adeoque verosimiliorem explicationem confugiamus. Itaque harum mulierum, quæ hic adsunt, altera facem, & lancem floribus, & fructibus onustam præfert, altera globulum forte ex incenso, & murrha, quæ genus est odoramenti, διάπασμα Græce nuncupatum. Si quidem aliquando fruges pro animalibus sacrificabant Antiqui. Hinc Virgilius * priscorum rituum observantissimus cecinit:

* Virg. Eclog. 3. v. 77.

Quum faciam vitulâ pro frugibus, ipse venito.

Quare idem Tibullus: *

* Tibull. libr. 1. eleg. 10.

Hic placatus erat, seu quis libaverat uvam,
Seu dederat sanctæ spicea serta comæ.
Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat,
Postque comes purum filia parva favum.

Cereri autem mulier sacrificabat, quod sacrificii genus *abstemium* appellabatur. Cereri autem fruges maxime conveniebant, quæ in nostro hoc sacrificio sunt expressæ. Audiendus Ovidius *, qui sic ait:

* Ovid. Fast. libr. 1. v. 671.

Placentur matres frugum Tellusque, Ceresque
Farre suo, gravidæ visceribusque suis.

Quod si etiam suillorum viscerum meminit in hoc carmine, in ceteris, quæ ante, & post leguntur, fruges tantum memorat; antiquitus enim, teste Plutarcho *, hostiis plane Pythagoricis utebantur Veteres; erant enim absque sanguine, ut idem subdit, & plerumque farina, rebusque vilissimis constabant, quas ἀπαρχὰς vocabant, nos vero libationes. Hinc Tibullus * cecinit:

* Plut. in Vita Numæ p. 65.

* Tibull. libr. 1. el. 1. v. 13.

Et quodcunque mihi pomum novus educat annus,
LIBATUM *agricolæ ponitur ante Deos.*

TABULA XVIII.

HÆc pictura quamvis unicum superstes veterum picturarum exemplar dicatur, non est, quod aliæ perantiquæ sparsim non reperiantur; sed nullæ tot figuris ad eamdem actionem exprimendam constant; tantæque magnitudinis, sunt enim hæ figuræ ferme bipalmares, multumque ad eruditionem, & ad antiquorum Romanorum ritus addiscendos conducunt, incolumesque, nec ulla in parte diminutæ adhuc adservantur. Repræsentat autem hæc tabula novam nuptam in maritali thalamo locatam, palla super tunicam, quam rectam dicebant, indutam. Flammeo caput ejus obnubitur lutei coloris; hinc Lucanus *:

* Lucanus libr. 2. v. 361.

Lutea demissos velarunt flammea vultus.

Mœsta est, quod e sinu matris erepta ad alienam domum, & ad virum, qui illi vim inferret, deducta sit. Hinc Catullus *:

* Catull. epig. 61. v. 3.

Qui rapis teneram ad virum
Virginem &c.

Oculos dimittit quasi rubore subfusa. Sic Statius * in Sylvis de nupta locutus:

* Stat. Sylv. l. 1. 2.

Lumine demissam, & dulci probitate rubentem.

Pedibus scabello, Græcis ὑποποδίῳ innixa est, ut moris erat iis, qui dignitate, vel nobilitate fulgebant, quod ex Ovidio accepimus:

Et cava sub tenerum scamna dedisse pedem.

Scamnum enim etiam dicebatur, quum *e scamno fiat scabellum*, ut Quintilianus cap. 4. docet. Cavus erat non superne, ut vult Chimentellius * c. 29. sed inferne, ut hoc nostrum apparet, quod planum est, & æquale, ubi pedes insistunt; nec ratio Chimentellii valet, quod in cavo firmius, & commodius pedes figerentur; immo, inquam, incommodius, & minus firme, ut omnibus facile apparebit. De hoc scabello videas, quæ dicta sunt T. 1. p. 172. Animadversionum ad picturas, & sculpturas sacrorum cœmeteriorum. Pronuba adsidet nuptæ, quapropter Claudianus * ad hunc morem respiciens ait:

* Chiment. de honore bisell.

* Claud. de rapt. Pros. l. 2. v. 361.

Stat Pronuba juxta &c. tangensque cubile,

Omi-

Omnia perpetuo genitalia fœdere ſancit.

Collum nuptæ ampleƈtitur, quod innuit idem Catullus: *

* Catull. 61. v. 181.

Mitte brachiolum teres
Prætextatæ puellæ.
Jam cubile adeat viri.

Pronubæ ſpeƈtatæ erant pudicitiæ, quamobrem univiræ adhibebantur. Hæc ſeminuda eſt, non in impudicitiæ argumentum, ſed ut facilius novam nuptam ad veſtes ſuo exemplo deponendas inducat. Myrto coronatur, non ſolum quod hæc planta Veneri dicata ſit, ut ex Virgilio: *

* Virg. Ecl. 7. v. 62.

Formoſæ myrtus Veneri gratiſſima,

ſed ea potiſſimum de cauſa, quod eadem ad amores conciliandos plurimum faciat, ut ait Phurnutus * De natura deorum. Adſidet thalamo, & ſponſam ampleƈtitur, quaſi eam in leƈtum collocare ſtudeat, ad quem morem reſpexit Terentius: *

* Phurn. c. 24.

* In Eun. a. 3. ſc. 5. v. 45.

Deinde eam in leƈtum illæ collocarunt.

Sponſus, dum nuptam præſtolatur, pone thalamum humili loco ſedet, ad quod reſpexit idem Catullus in nuptiis Juliæ, & Manilii:

Aſpice intus, ut accubans
Vir tuus Tyrio in toro
Totus immineat tibi.

Hedera coronatus, ſub qua corona capilli non apparent, nam ſponſi tondebantur, vel capillos reducebant. Juvenalis enim ait:

ſponſalia noſtra
Tempeſtate paras, jamque a tonſore magiſtro
Peƈteris.

Balnearia ſtrigilem dextera tenens aquam parat in vaſe cum ceteris ancillis. Vas illud, quod etiam *lavatio* dicebatur, argenteum quandoque erat. Hinc Phædrus ait *: *Mundum muliebrem*, LAVATIONEM *argenteam*. Quamvis nonnulli lavationem non pro vaſe, ſed pro omni balnearia ſupelleƈtili accipiant. Sed Ulpianus * mundum muliebrem recenſendo dicit: *Vaſa unguentaria, & ſi qua ſimilia dici poſſunt, lavatio* &c. ubi lavatio vas eſſe, ut hoc noſtrum, videtur. Una ex his mulieribus tabulas dotales præfert, de quibus Apulejus * loquitur: *Nihil verbis opus eſt, quum multo diſertius* TABULAE *loquantur &c. Hæc, ut dico,* TABULIS *ipſis docebo.* In hunc etiam fortaſſe uſum columellæ innixa alia proſtat tabula. Vaſa autem unguentaria, quorum meminit Ulpianus, ea ſunt, quæ femina n. 7. poſita in manibus habet. Uſus vero unguentorum tantus erat, ut putidum eſſet, in hac re longius immorare, quapropter ſatis ſuperque erunt, quæ in calce Tabulæ ſunt adnotata. Alia parte tripus adeſt paratus quamelegantiſſimæ formæ, cum anſis hinc inde demiſſis, in quem mulier ex patera aquam infundit, fortaſſe ad abluendos ſponſos poſtquam veneri indulſiſſent; Veteres enim poſt concubitum ſeu impurum, ſeu legitimum ſeſe purificabant. Duæ aliæ mulieres extra cubiculum epithalamium canunt; carmen nempe nuptiale ad oſtium cubiculi canendum erat. Pſaltrix cytharam tenet, ſeu lyram, e cujus jugo inter cornua infixo pendent ſex chordæ, quæ extenduntur uſque ad lyræ fundum. Vide ſis Animadverſiones ad Romam ſubterraneam, ubi hoc inſtrumentum luculenter expenditur. Hæc mulier, ut foret ad canendam lyram expeditior, ſtola tantum induta eſt, duplici inſtita in inferiore limbo circumdatâ. Porphyrio * hanc optime enarrat his verbis, ubi de matronis loquitur: *Stola utuntur ad imos pedes demiſſa, cujus imam partem* AMBIT INSTITA ASSUTA. Frons illius tintinnabulis coronatur. Huic proxima altera adſtat mulier ſtola, & palla circumamiƈta; quæ coronam ferme radiatam geſtat in capite. Hæc poëtria eſſe videtur, vel Regina Sacrorum, quæ carmen nuptiale canat. Effoſſa autem eſt hæc elegantiſſima piƈtura, opere teƈtorio delineata, in monte Quirinali Pontifice Maximo Clemente VIII. & in hortos Cardinalis Aldobrandini inlatam, qui conclave ob id potiſſimum extruxit, ibique eam iterum in murum inſeruit, ubi etiam nunc illa cernitur. Ejus delineationem ære inciſam a Suſanna Maria Sandrartia in lucem protulit anno 1683. Joachimus de Sandrart

* Phædr. l. 4. 4.

* Ulpian. leg. ff. de auro argent.

* Apul. Apolog.

Rom. Sotterr. Tom. 2. cart.

* Porph. ad Horat. Sat. libr. 1. 2. 29.

in Academia picturæ nobilis part. 2. libr. 1. cap. 9. qui ejus mirum artificium jure, & merito laudibus ornat, eamque singillatim enarrat, sed eam pluris fecisset, si hanc nostram elegantissimam graphidem a Petro Sancte Bartolo ære incisam conspexisset.

TABULA XIX.

* Virg. Eclog. 10. v. 69.

Omnia vincit Amor, ut cecinit Virgilius*; quod adeo verum esse comperimus, ut proverbii loco hoc habitum sit. Nec tantum amorem omnia vincere, sed a nullo vinci posse longa experientia edocti adfirmarunt veteres Scriptores. Sic Ovidius celebris ille amoris magister nullo eum posse medicamine mederi fassus est: *

* Ovid. Met. l. 1.

Hei mihi quod nullis amor est medicabilis herbis.

Quod innuit quoque Propertius * dicens:

* Prop. libr. 2. el. 1.

Solus amor morbi non amat artificem.

Et apertius ipsemet Virgilius in Ciri:

Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit; quem nec pater, atque avus idem
Jupiter.

Sed nimis longum esset omnia percensere poëtarum, rhetorumque dicta tum Graecorum, tum Latinorum, qui hoc idem disertissimis verbis luculenter explicarunt. Solum addam, hanc eamdem sententiam Antiquos artifices & picturis, & gemmis arte laboratis, & marmoribus sculptis ostendere curasse, ut videre est in hoc musivo opere, quod in Capitolio inter tot elegantissima cimelia adservatur, dono a Marchione Angelo Gabriellio datum BENEDICTO XIIII. P. M. In eo enim expressus est Hercules lanam e colo ducens, superne nudus, & a lateribus ad talos usque femoralibus seu subligaculis tectus in modum braccarum barbarorum, qua forma forte putandum est indutas esse antiquitus mulieres. Clava, & clypeus, tanti numinis instrumenta, ad ejus lævam otiosa conspiciuntur. Sub eo jacet leo immanis magnitudinis, & feritatis, quem duo puelli alati domuisse videntur, ac cicurem reddidisse. Alter quidem hedera coronatus, ante ejus oculos velum obpandit, alter illum funibus devincit. Pone puerum coronatum thyrsus adest pelli tigridis innixus, quæ arma Bacchica omnes esse norunt. Ad feri pedes projectus est cantharus ansatus. Dextrorsum puer alter super saxum sedet, fistula canens. Hîc pictam esse autumo fabulam, qua fertur Herculem Omphales Lydorum Reginæ amore captum, ei servitutem servisse, ex qua postea Lamum genuit. Quam autem lapillis variegatis expressit pictor, hanc narrationem carminibus itidem sic enarravit Ovidius in epistola Dejaniræ:

Una recens crimen præfertur adultera nobis
Unde ego sum Lydo facta noverca Lamo.
Mæandros, toties qui terris errat in îsdem,
Qui lapsas in se sæpe retorquet aquas;
Vidit in Herculeo suspensa monilia collo,
Ille cui cœlum sarcina parva fuit.
Non puduit fortes auro cohibere lacertos,
Et solidis gemmas apposuisse toris &c.
Ausus es hirsutos mitra redimere capillos.
Aptior Herculeæ populus alba comæ.
Nec te Mæonia lascivæ more puellæ
INCINGI ZONA *dedecuisse putas?*

Hoc item prosequitur in Fastis fusiore calamo, pluribusque versibus, ex quibus, qui ad rem nostram faciunt, seligam: *

* Ovid. Fast. libr. 2. v. 310.

Ibat odoratis humeros perfusa capillis
Mæonis, aurato conspicienda sinu &c.
Dumque parant epulas, potandaque vina ministri,
Cultibus Alciden induit illa suis.

Hac

Hac autem fabella, quam hic delineatam cernimus, & quam nonnihil attingit Palæphatus *, nil aliud nobis innuisse videtur antiquus artifex, quam Amorem, & vinum lenire iram & metum, & quaslibet quamvis acriores animi affectiones, quod alibi adfirmavit idem amatorius poëta: *

Nox, & AMOR, VINUMQUE nihil moderabile suadent:
Illa pudore vacat: LIBER, AMORQUE METU.

* Palæph. de incredib. cap. 45.
* Ovid. Amor. l. 1. el. 6.

Apposite autem hic pictus est leo; leonis enim propriam esse iram nos docuit Horatius *, dum cecinit:

Fertur Prometheus addere principi
Limo coactus particulam undique
Desectam, & insani leonis
Vim stomacho apposuisse nostro.

* Horat. l. 1. od. 16.

Cupido igitur leonem, iram scilicet, domitum vinculis adligat, quod docte profecto, ac eleganter expressit his verbis Virgilius * de Cupidine loquens:

Ille etiam Pœnos domitare LEONES,
Et validas docuit vires mansuescere tigris.

* Virg. in Cir.

Cur autem cominus addita sit pyramis, & palmæ arbor, & delta littera quarta Graecorum in saxo excisa, divinare prorsus nescio; quum hæc omnia ad Ægyptum pertineant, cujus extrema pars, quæ ad mare mediterraneum vergit, ac Nilo hinc, & inde alluitur, Delta appellatur, ut ex Plinio, Mela, & Solino patet. Pyramides autem Memphitarum miracula fuisse in comperto est apud omnes, & palmas etsi alibi innascantur, etiam in Ægypto frequentes esse, testis est Plinius *. Sed quid hæc ad Herculem, & Omphalen? Ille enim Thebanus fuit, Omphale vero Lydia: alter scilicet in Europa, altera in Asia nata, quum Aegyptus Africæ regnum sit. Verum ne noster artifex omnino videatur delphinum sylvis appinxisse, fluctibus aprum, aliquid ariolando potius, quam conjectando proferam. Certum est Herculem in Aegypto præcipue cultum fuisse, & in insula Nili Heraclepolitas habitasse, *in qua & oppidum Herculis appellatum*, ut ait Plinius *. Immo inter quamplurimos, qui hoc nomine vocati sunt, antiquissimus Hercules ille fuit, qui apud Ægyptios honorabatur, teste Macrobio *: *Nec existimes Alcumena apud Thebas Boeotias natum, solum, vel primum Herculem nuncupatum; imo post multos postremus ille hac appellatione dignatus est, honoratusque hoc nomine &c. Verum sacratissima, & augustissima Ægyptii cum religione venerantur; ultraque memoriam, quæ apud illos retro longissima est, ut carentem initio colunt.* Quare utrum hîc Ægyptium Herculem voluerit noster artifex designare, apud eos, qui ampliore eruditione, & doctrina pollent, judicium esto. Plura item addidit Bacchi insignia noster artifex, ut non solum amorem, sed etiam vinum vincere ostendat iram, quod superius ex Ovidio accepimus.

* Plin. libr. 13. nat. hist. cap. 4.
* Plin. nat hist. l. 5. cap. 9.
* Macr. Sat. l. 1. cap. 20.

DE HUJUS OPERIS PARERGIS.

HIc autem nonnulla addenda de parergis, quæ ad hujus Voluminis ornatum addita sunt, duximus, quum ea quoque ex antiquis picturarum reliquiis desumpta sint. In fronte igitur hujus Operis Roma sedens conspicitur, cujus autographum exstat in ædibus Barberinis in tectorio depictum, quod etiam in lucem protulit majoribus formis Crosatius Gallus in sua celebriorum picturarum sylloge. Romam gentium dominam veteres Romani tanquam Deam venerati sunt, & ejus numini templa dicarunt non solum Quirites, verum etiam exteræ nationes, ut cum ex Livio *, & Dione *, tum ex nummis didicimus. Quomodo autem eam repræsentarent, habetur ex Corippo *:

Addidit ANTIQUAM tendentem brachia ROMAM,
Exserto & nudam gestantem pectore mammam,
Altricem Imperii, libertatisque parentem.

* T. Liv. libr. 43. 5.
* Dio Histor libr. 51. p. 458.
* Coripp. libr. 1.

Hæc autem nostra tota tota vestita est præter brachia, ut decebat urbem, quæ merito a Martiale * appellatur:

Terrarum Dea, gentiumque Roma

* Mart. libr. 12. epigr. 8.

Cui par est nihil, & nihil secundum.

Duplici tunica, seu stola involvitur, quarum interior longior, & usque ad talos demissa, exterior autem brevior, sed ornatior; duabus, vel fortasse tribus institis seu segmentis circumdata; qua de re Juvenalis *

Segmenta, & longos habitus, & flammea sumit;

& Ovidius *

Quæque tegit medios, instita longa, pedes.

Hinc Porphyrio ad Horatii satyram 2. libri primi ait: *Matrona significat. Hæ enim stola utuntur ad imos pedes demissa, cujus imam partem ambit instita assuta.* Hic autem pictæ institæ opere Phrygio ornatæ sunt, quo matronæ divites maximopere delectabantur, nos illud *ricamo* appellamus. Hujus vero operis artifices Phrygiones dicti, ut patet ex Plauto *, quod acu facere Idæi Phryges invenerint, ut ait Plinius *. Tunica superior zona præcingitur, ut moris erat. Hinc Ovidius *:

Aut tunicam summa deducet turpiter ora
Ad mediam? mediæ zona tulisset opem.

Et ut videre est in propemodum innumeris statuis antiquorum, quæ adhuc supersunt. Super tunicas palla amicitur eo propemodum modo, quo ab Apulejo * describitur his verbis: *Circum circa remeans, & sub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, ambonis vice, dejecta parte laciniæ multiplici contabulatione dependula ad ultimas oras &c. decoriter confluctuabat.* Quod autem palla tunicæ superimponeretur discimus ex Horatio *:

Ad talos stola demissa, & circumdata palla.

Hanc super humeros detinent duo alati Genii, qui aliquando puerili, aliquando juvenili, vel etiam tandem senili forma repræsentabantur. Scio equidem Genium unicuique homini tributum fuisse singillatim, ut ait Menander apud Censorinum *, qui Genius μυσταγωγὸς τȣ̃ βίȣ dicebatur a Græcis scilicet *vitæ ductor.* Quamobrem Seneca * ait, Stoicos singulis Genium dedisse; & Antiquos consueverunt sæpe per Genium Principis, vel Cæsaris jurare. Verum regnis etiam, & urbibus, locisque peculiaribus tribuebatur. Hinc Virgilius *:

Incertus Geniumve loci, famulumve parentis
Esse putet.

Ad quæ carmina videndus Servius, qui hoc luculenter confirmat. De regno vero Claudianus * ait:

Quid non perficeret . . . .
Vel GENIUS REGNI, *vel pietatis amor?*

Urbium autem Genios nominat Arnobius *. At Prudentius * & regnorum, & mœniorum Genios simul commemorat:

Cunctis nam populis, seu MOENIBUS *inditur, inquit,*
Aut fatum, aut GENIUS, *nostrarum more animarum.*

Sed peculiarius idem Romanæ Genii Urbis meminit, immo ejusdem plurium Geniorum.

Non GENIUM, *cujus frustra simulatur imago.*
Quanquam cur GENIUM ROMAE *mihi fingitis unum?*

Dextera sceptrum, sinistra Victoriæ sigillum cum labaro, & orbe sustinet. Quæ Victoria alis prædita est, quod sic a pictoribus pingi adfirmat Pacatus in Panegyrico: *Recte profecto germana illa pictorum, poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam.* Labarum tenet, quod a Romanis signis raro discederet; Orbem autem, quia per totum, qua late patebat, Orbem Roma ob reportatas de hostibus victorias dominaretur. Hinc & inde in sella pro coronide brachiorum ejusdem sellæ positi sunt duo anseres, nam horum clangore, atque alarum crepitu, eorumque vigilantia Roma stetit, ut narrat Livius *, & Aurelius Victor *, & Plutarchus *. Nam eorum gingritibus, ut cum Arnobio * loquar, excitus M. Manlius Gallos jam muros Capitolii superantes, propulsavit; quare in Curia Calabra, seu in æde Junonis publice alebantur.

* Juvenal. Sat. 2. v. 124.
* Ovid. de A. A. libr. 1. v. 31.
* Plaut. Aul. 3. 5.
* Plin. l. 8. cap 48
* Ovid. Amor. libr. 1. eleg. 7.
* Apul. Met. l. xi. circa init.
* Horat. libr. 1. Sat. 2. v. 98.
* Cens. de die natal cap. 3.
* Sen. ep. 110.
* L. Si duo §. Si quis ff. de jurejur. & Apul. Metam. libr. 9. p. 311
* Virg. Æn. 5. v. 95.
* Claud. epist. 2. v. 47.
* Arnob. libr. 1. p. 15.
* Prud. contr. Symmach. libr. 2. v. 36.
* Idem ibid. v. 446.
* T. Liv. l. 5. 47.
* Aurel. Vict. de vir. ill. cap. 24.
* Plutarc. Quæst. Rom. 97.
* Arnob. l. 6.

IN-

IN fine hujus pagellæ conſpicitur Amor nudus ſuper ſaxum ferme cubicum ſedens, & manibus contrectans unum ex quatuor diadematibus, quæ ex tranſverſo tigillo ſuſpenſa pendent, & inſigne præcipuum regni ſunt. Quare Svetonius * ait: *Nec multum abſuit quin ſtatim* DIADEMA *ſumeret, ſpeciemque principatus in* REGNI FORMAM *converteret*. Hæc graphis ducta eſt e pictura quadam, quæ in Thermis Conſtantinianis fuerat. Amorem nudum, & alatum Veteres pinxere, ut omnes probe norunt. Pro omnibus audiendus Propertius tantum *:

Quicumque ille fuit PUERUM, *qui pinxit Amorem,*
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus? &c.
Idem non fruſtra ventoſas addidit ALAS,
Fecit, & humano corde volare Deum.

Hæc diademata forte Amorem ubique regnare innuunt, quod etiam inter ceteros adfirmat Ovidius dicens *:

Quidquid Amor juſſit, non eſt contemnere tutum:
REGNAT, *& in dominos jus habet ille Deos.*

Vel hæc diademata praemia ſunt, quæ fallax ſemper, ſemperque dolos nectens Amor, ut incautos adliciat, promittit amantibus. Ni fortaſſe hæ dependentes zonæ ſint virginales, ex lana ovilla factæ, quas ſponſus primo concubitu ſolvebat ad amoris opus perficiendum. Feſtus hæc diſerte enarrat dicens: *Cingulo nova nupta præcingebatur, quod vir in lecto ſolvebat, factum ex lana ovis*: & Nonnus * eleganter cecinit:

. . . . καὶ ἀτρέμας ἄκρον ἐπύωας
Δεσμὸν ἀσυλήτοιο Φυλάκορα λύσατο μίτρης
. . . . *& ſenſim ſummum trahens*
Vinculum nondum prædatæ cuſtodem ſolvit zonæ.

Hinc Catullus * ait de pomo Atalantæ:

Quod zonam ſolvit diu ligatam.

Et alibi pariter *:

Quod poſſet zonam ſolvere virgineam.

Hoc autem moris erat non apud Romanos ſolum, ſed etiam apud Græcos, ut patet ex illo Homeri carmine *:

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην κατὰ δὲ ὕπνον ἔχευεν
Solvit autem virginalem zonam, ſomnumque ſuperinfundit.

Et ex Plutarcho * in Lycurgo. Quamvis etiam aliquando apud eoſdem Græcos ſolvere zonam eæ mulieres dicebantur, quæ primum pariebant, uti habetur ex Scholiaſte Apollonii Rhodii *.

* In Calig ula c. 22. 3.
* Prop. l. 2 eleg. 12.
* Ovid. epiſt. 4. v. xi.
* In Dionyſiac. l. 16. v. 268.
* Catullus ep. 2.
* Idem epigr. 65.
* Homer. Odyſſ. λ. v. 244.
* Plutarch. in vit. Lycurg. tom. II. p. 104. Lond. an. 1729. recenſente Auguſtino Bryano.
* Libr. I. v. 287.



INDEX RERUM NOTABILIORUM.

Ne-

N

O

P

Q

R

S

T

V

